



Kem 237 (1-16)

49

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA  
DE  
**CAVSSIS IMPOTENTIAE**  
IN SEXV POTIORI  
EX DOCTRINA  
HIPPOCRATIS VETERVMQVE MEDICORVM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE ATQVE DOMINO  
DOMINO  
**CAROLO AVGVSTO**  
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE, REL.

EX DECRETO  
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS  
PRAESIDE

**CHRIST. GODOFR. GRVNERO**

MEDICIN. DOCT. BOTAN. AC THEORET. PROF. ORD. FACULT.  
MEDIC. ADSESS. ACADEMIAE ELECT. MOGVNT. SCIENT.  
VTIL. ET SOCIET. LAT. IENENS. SODALE.

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
RITE CAPESENDIS


D. XVI. IVLII CLOCCCLXXIIII.

PVLICE DEFENDET

**MICHAEL SONNTAG**

IGLOVIA NOBILIS HVNGARVS MEDICINAE DOCTORANDVS.

\*\*\*  
IENAE  
EX OFFICINA STRAVSSII.



ILLVSTRISSIMO DOMINO  
DOMINO  
IOSEPHO TÖRÖK

DE SZENDRÖ

SACRAE CAESAREAET REGIO-

APOSTOLICAE MAIESTATIS

INCLITAE REGIAE CAMERALIS

ADMINISTRATIONIS

CASCHOVIENSIS PRAESIDI GRAVISSIMO

V T E T

REFERENDARIO

LONGE MERITISSIMO



NEC NON  
SPECTABILI AC MAGNIFICO DOMINO  
DOMINO  
**PAVLO TISZTA**

DE SELLYEB  
SACRAE CAESAREO - REGIAE AC  
APOSTOLICAE MAIESTATIS  
EXCELSAE CAMERAE HVNGARICO AVLICAE

ET  
INCLYTAE CAMERALIS ADMINISTRATIONIS  
CASCHOVIENSIS CONSILIARIO.

NEC NON  
CAESAREO - REGIARVM XIII. CIVITATVM  
SAXONICARVM SCEPVSSENSIVM  
AC  
DOMINIORM LVBLYO ET PODOLIN  
ADMINISTRATORI SOLERTISSIMO.

V T E T  
SPECTABILI AC GENEROSO DOMINO  
DOMINO  
FRANCISCO IANCZO  
DE ESZTELLYNEK ET IN BRVTOZ  
INCLYTI COMITATVS SCEPVSIENSIS  
VICE COMITI ORDINARIO MERITISSIMO  
DENIQUE

SPECTABILI AC GENEROSO DOMINO  
DOMINO  
TOBIAE IONY  
CAESAREO - REGIARVM XIII. CIVITATVM  
SAXONICARVM COMITI  
NEC NON  
COMPLVRIVM INCLYTORVM COMITATVVM  
TABVLAE IVDICIARIAE ASSESSORI.



VIRIS  
MAECENATIBVS FAVORIBVS ET  
PROMOTORIBVS  
BONARVM ARTIVM ET SCIENTIARVM  
DOMINIS MEIS GRATIOSISSIMIS  
HOCCE  
SPECIMEN ACADEMICVM  
IN PERPETVAM MEMORIAM  
SACRVM ESSE VOLVIT.

T O B I A S I O N Y  
C E D Z R O D - R E G I V A N H - M I C H A E L  
S A X O M C E A V I C O M B I  
M I C H A E L S O N N T A G .  
D E V O T I S S I M V S C V L T O R



DE  
CAVSSIS IMPOTENTIAE  
IN SEXV POTIORI  
EX DOCTRINA  
HIPPOCRATIS VETERVMQVE MEDICORVM.

§. I.  
*Instituti Ratio.*



Miratus sum saepenumero morborum multitudinem, quibus virorum genitalia patent. Quorum sanitas quo magis necessaria est et ad so- bolem procreandam, et ad scommata derisorum effugienda, eo curatiorem promeretur explicationem, quoniam, vt *Alcimi Auiti* a) verbis vtar,

*Nemo adeo est tutus, qui non aliquando timere*

*Debeat,*

aut etiam, quia, auctore *Velleio Paterculo* b), nemo fre-  
quentius opprimitur, quam qui nihil timet, et securitas fre-  
quen-

A

a) De Laud. Castitat. v. 136.

b) Hist. Rom. XI. 118.



*quintissimum calamitatum est initium.* Est enim hoc mali genus, si quo alio tempore, hoc certe optimo cuique pertinendum, quo viri, si femellarum desideriis satisfacere aut nolunt, aut nequeunt, vel argutulis ciuium suorum jocis exponuntur, vel ad iudices vocantur impotentiae crimen repulsuri. Sunt vero eius caussae tot atque tam multiplices, vt, vnde ordiundum sit, nuspiciam videamus, nascunturque illae, experientia duce et **HIPPOCRATE c)** teste locupletissimo, sensim atque pedetentim sic, vt, vbi ad amplexus ventum est, iaceant

*Velut praemortua, membra*

*Turpiter, besterna languidiora rosa.*

Lugeamus igitur necesse est misellorum semiuirorum sortem, qui etsi instrumenta sexus nostri habeant, iis tamen rite votisque concubiae vxoris apposite vi nesciunt. Nam, vt bene catus amorum magister, **ovidius d)**:

*Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido:*

*Attice, crede mihi; Militat omnis amans.*

Hinc mirum debet esse nemini, si, praecipuas turpissimi huius et nefandi mali caussas repetendo inde a priscis temporibus, occasione hac peropportune data, moneamus quosunque matrimonii candidatos, ne periculosis hisce scopolis imprudenter adhaerescant ante, quam didicerint,

*Quid valeant humeri, quid ferre recusent.*

Est vero, auctore Coo Sene e), medicinae quasi proprium, *morborum caussas nosse*, et *morbos ipsos omnibus medicamentis, quae augescere morbum probibent, curare posse*. Quare, omittis atque posthabitatis iis caussis, quas recentiorum hominum industria putauit adiungendas aut etiam assingendas, non, nisi eas oratione nostra adsequi atque describere conabimur, quas veteres medici passim commemorarunt. Sunt caussae

e) L. De Diaet. I. §. 3. p. 182. T. I. ed. Lind.

d) Amor. I. Eleg. IX. v. I. seq.

e) L. De Arte, §. 19. p. 111. et L. De Flatib. §. 2. p. 400. T. I.

causae illae virilitatis extinctae aut *comparate tales ac superabiles*, modo vietus vitaeque ratio commutetur, visque medicamentorum accesserit, aut etiam *simpliciter et absolute tales* sunt, quae siue a natura sint, siue a male sedula hominum arte ac flagitiis oriantur, omnem medicorum diligentiam tantum non semper eludunt.

§. II.

*Aeris, maximeque austri, mala indoles.*

Sit igitur ex doctrina veterum medicorum princeps omnium aer. Quid enim sine hoc tandem sit, inquit **HIPPONIUS f)**? Aut cui rei non adept? Mortalibus vitae, et morborum aegrotis, solus is est auctor. Sed verborum nomina et varias noxas iam multis adducere non attinet, siquidem haec inter omnes constant, et cum apud **HOLERRIVM g)** leguntur, cum apud **MARTINVM h)**, medicum doctissimum. At austrum negligere nefas ducimus, cuius minimis ob summas iniurias pigebat veteres, et, **HORATIO i)** auctore,

*Hoc si uox puerique caecos*

*Sentiant motus orientis austri.*

Vt enim subitae aeris mutationes k) semper sunt detrimenta corpori, aequales autem et constantes l) non item, ita etiam vel maxime austro male audit, siue humidus et calidus

A 2

dus

f) L. De Flatib. §. 5. et 6. p. 402.

g) Comment. in **HIPP.** Aph. 5. Sect. III. p. 221. Ventorum vero nomina et diuisiones vide ap. **Constantin.** Cag. De Agricultura I. 12. p. 15. ed. Basil. 1538.

h) Ad. Virgil. Georg. III. v. 77. seq. p. 409. ed. Hainb.

i) Carm. L. III. Od. 27. v. 21. sequ.

k) Ap. **HIPP.** L. De Aere, §. 53. p. 359. T.I.

l) **HIPP.** L. cit. §. 46. p. 355.



dus ille sit, siue siccus et calidus simul m). *Auster a meridie spirans*, inquit *Constantinus Caesar n)*, *humidus et inaequalis, et morbosissimus existit*. Nec iniuria. Est enim, vt bene *HVXHAMVS o)* monuit, *calidi, est etiam et humidus, laxare fibras; quid coniuncta? Eas fere omnia resoluunt*. — At vero aer *siccus*, pergit magnus ille medicus, *magna plerunque grauitate pollet et elasticitate, quod motum sanguinis multum incitat: Quatenus vero calidus est, humores perspirantes exhaurit maxime, unde serosa pars sanguinis dissipatur, et liquidissima corporis auolant: restat adeo crux spissus nimium; nihil namque iam humidus ex atmosphaera torrida per cutis poros imbibitur* — *Sic diurnus aestatis seruor usque adeo torret humores animales, ut longe aciores sub autumnum sint, quam verno tempore.* — *Torridae sane Zonae vehemens ardor usque adeo exhaudit incolarum humores, usque adeo crispat fibras, ut quasi perusti videantur.* Ex his vero facile colligitur, ab austro utroque laedi posse generationis instrumenta, aut quia exinde humores aciores quasique exusti sunt, unde facile orientur ulcera, si *HIPPOCRATI p)* fides habenda est, aut quoniam tunc temporis viris semen inesse debet densum quasique coactum q), atque eam ob caussam minus idoneum ad prolem procreandam, aut denique quia in exhausto viribus et succis homine vel nullum veneris desiderium est, aut certe perexiguum. Quod si verum est, vt est, illico patet, quare  
ve-

*m)* L. De Diaet. II. §. 5. p. 213. seq. et. L. De Humor. §. 8. p. 324. Hac ratione optime inter se conciliari possunt poetae ac auctores veteres, si identidem, vt ap. *Virgilium*, legatur: *Humidus Auster, Pluivialibus austris, Iupiter horridus austris Torquer aquosam biemen, frigidus austus cet.* Cf. Not. *Martini ad Virgil. Georg. IV. v. 261.* p. 413. sequ.

*n)* L. cit. II. 3. p. 26.

*o)* Proleg. ad Obseruat. de Aere et Morb. Epidem. n. 3. p. 18. et 20. T. I. ed. *Reichel*.

*p)* L. De Humor. §. 8. p. 324.

*q)* L. De Aere, §. 53. p. 359.

◆ ◆ ◆

veteres *biemem austrinam* valitudini bonae infensissimam  
iudicarint, et austrium omnem voluerint quoquis modo iis fu-  
giendum, qui liberis operam daturi sunt. Caeu tamen, ne  
nimis hisce placitis credas, quippe et vbiuis terrarum, et  
omni caelo ac tempore procreantur tenelli homunculi, adeo-  
que ab hac sola austri adspiratione, nisi plures aliae, eaque  
vehementiores, accesserint, nullus impotentiae metus, nul-  
lum est periculum.

§. III.

*Plantae et legumina, nec non medicamenta varia.*

Neque minus infames sunt hac de re apud veteres *plan-*  
*tæ quaedam*, quæ cum semen extinguerent dicebantur, tum  
veneris vsum retardare, easque præ ceteris recensuit *Ori-*  
*basus r).* Eminent hoc in genere *pulegium*, *apium*, *co-*  
*riandum*, *nasturtium*, *anethum s)*, *semina viticis t)*, *lac-*  
*tucae u)*, *cannabis fylloepbris v)*, *parisolympenzi w)*, *cotyledonis x)*,

A 3

*psyllii*

r) Synopf. II. 58. p. 25. et Collect. XIV. 66. p. 488. Coll. Steph. quam  
vbiuis fere sequimur in adducendis veterum medicorum locis.

s) Marcell. L. De Medicament. c. 33. p. 395.

t) Memorauit Alexander Trall. IX. 9. p. 555. ed. Basil. Semen vi-  
ticis torridum et non torridum, nec non folia et flores fuliginosos:  
Vires vero descripserunt Oribasius (Euporist. I. 12. p. 580. et Loc.  
Affect. Curat. IV. 106. p. 668.) atque Paullas De Re Medic. I. 38.  
P. 356.

u) *Lactucae semen*, eodem Alexandro I. c. teste, ex aqua potum eadem  
efficere, et genituram cobihere solet: unde etiam venerem somnianti-  
bus exhibetur. Similiter Oribas. Euporist. I. c. Dioſcorid. De Me-  
dic. Mater. II. 165. et 166. p. 145. ed. Sarac. Plin. Hist. Nat. XIX. 8.  
Marcell. I. c. p. 396. Paullus vero I. c. eadem de succo prodidit me-  
moriae.

v) Hoc secundum Alexandr. I. c. genituram exsiccat, si subinde poretur.

w) Alexandr. I. c. Folia et semen genituram desiccant, ac nonnullos aiunt  
multo huius potu infuscando fieri.

x) Paullus I. et p. cit.



*p*sylli *y*), *lini* *z*); *nymphaea* *a*), *orchis minor* *b*), *plumbum lumbis impositum* *c*), *semperfervium* *d*), *ruta* *e*) et *mentha f*), tandem *solanum g*), *fungi adhuc viuentes in potionē lucernae*, *quae sponte extinguitur, extincti et traditi h*), *camphora pota*

- y*) Paull. ibid. *Refrigerat*, vt *Oribasius* (Synops. II. 9. p. 20) perhibet, secundo gradu, haber aquosam frigiditatem, et indurat.
- z*) In aqua coctum refrigerat, teste Paullo l. cit.
- a*) Radix et semen exsiccat, adeoque ob calorem semen genitale nasci cohibet, auctore Aëtio Tetrabl. I. Serm. II. c. 238. p. 103. Hinc ap. Alexandr. l. c. dicitur *veneris in somniis opitulari et priapismo* c. 10. p. 557. quocum consentit *Oribasius* Synops. IX. 41. p. 147. Nominabatur autem illa, vt *Marcello* l. c. videtur græce *nymphaea*, latine *clava Herculis*, gallice *baditivis*.
- b*) Ap. Alexandrum l. c.
- c*) *Alexand.* l. c. Aëtius Tetrabl. I. Serm. II. c. 66. p. 73. *Oribasius* Synops. II. 9. p. 20. Paullus l. c. *Seminis profusionem cohibere* auctor est.
- d*) *Oribas.* Synops. II. 10. p. 20. Cf. Aëtius l. c. qui ei vim adstringentem et refrigerantem attribuit.
- e*) Eam omnes omnino veteres calidam appellant, adeoque semen crassum reddere contendunt. Sic enim **HIPPocrates**, (L. De Diaet. §. 26. p. 225.) **Plinii** (Hist. Nat. XX. 13.) **Galenus** (Simpl. Medicam. Facult. VIII. 16. n. 18. p. 219. T. XIII. ed. Chart.) **Alexander Trallianus** (L. IX. 9. p. 556.) **Constantinus Caesar** (De Agricult. XII. 25. p. 277. ed. Cornar.). Hinc *Rufo* ap. *Oribas.* Collect. VI. 38. p. 301. illa dicitur *commiscendi corporis libidinem obtundere atque discutere*. Neque absimiliter Paullus l. 35. p. 355.
- f*) **Hipp.** L. De Diaet. II. §. 26. p. 226. T. I. vbi ea putatur saepius pransia semen genitale colligefacere, erectionem prohibere, corpus debilitare. Cf. *Aristotel.* Probl. II. Sect. XX. p. 165. T. IV. ed. *Du Vall.* Constantini l. cit. c. 24. p. 276.
- g*) Ap. **Hipp.** l. et p. cit. dicitur *frigefacere*, seminisque per quietem profusionem non permettere. Sic etiam *Oribasius* (Synops. IV. 32. p. 70.) atque *Paullus* (De Re Med. I. 38. p. 356.) ad feminis abundantiam immixtuendam commendarunt.
- h*) Ap. *Marcell.* L. De Medicament. c. 33. p. 396.

*pota i), opium et acetum k), et sexcenta alia medicamenta, quae multis percensere nec licet, nec libet. Negari quidem non potest, posse haec omnia aut diluendis refrigerandisque humoribus veneris amorem, nisi tollere penitus, (de quo vehementer dubito), at retardare saltem, aut etiam, densandis iis quasique exurendis, dubios quodammodo et ad tempus amplexus reddere; Sed falluntur boni senes vehementer, cum plus, quam fas est, hisce plantis inesse putant, partim, quia multi tenuioris sortis homines his identidem magnaqua in copia vescuntur sine vila sobolis iniuria, partim quia sponte sua et vberius proueniunt in calidis regionibus ad diluendam, vt videtur, et demulcendam succorum acritudinem, seminisque vim vegetiorem efficiendam. Sustulimus certe bis hac sola via quorundam virorum impotentiam, qui nimio succorum calore praediti motuque vehementi agitati ad rem venereum accedebant, adeoque spectanda semper est varia corporum natura, si velis hisce plantis aliquid adjudicare. Constat cere inter omnes, ab horum esu non tolli posse usum veneris, quicquid ogganniant superstiosi amorum magistri, matres credulæ, obstetrices lucri cupidissimæ, adeoque nec ii perhorrescendi sunt, qui ex more pharmacopœiae illius apud THEOPHRASTVM l) medicamenta buccis plenis efferunt atque extollunt, quibus possint adolescentes quasi eneruare minusque idoneos reddere ad veneris negotia sustinenda. Ridendae igitur sunt et damnandæ illæ fabulae, eodem fere modo, quo *incantamenta*: quae etsi DAN. SENNERTVS m) testimoniosis FER-*

NELII

i) Avicenna L. III. Fen. 21. Tract. I. c. 8. p. 710. ed. Basil. 1556. et Arnoldus Villanova De Morb. Curand. II. 26. p. 209. b. Opp. Ed. Argent. 1541.

k) Gordoniæ Lil. Medic. Part. VII. c. 1. p. 595. ed. Lugd. 1550.

l) Hist. Plant. IX. 19, p. 1153. ed. Stapel.

m) Pract. Medic. L. III. Part. IX. Sect. II. c. 1. p. 942. seq.



NELII, ALEX. BENEDICTI ET CODRONCHII tueri audeat,  
spernuntur tamen hodie ab optimo quoque, cui

*Meliore luto fixit praecordia Titan.*

Etenim viri, qui, dum licet et fas est, viriliter agere ne-  
sciunt, et

*Iacent n) pigro crimen onusque toro,*  
laborant sine dubio vitiis iis, quae paulo post commemora-  
bimus, neque fides habenda illis est, et si identidem ad id  
genus nugas, tanquam ad anchoram sacram, configuant.  
Eadem ratio est *leguminum*, quae passim apud veteres male  
audiunt. Sunt vero, auctore *HIPPOTRATI o)*, illa *omnia*  
*flatuosa et cruda, et cocta, et fricta, et macerata, et viri-*  
*dia.* — *Vnumquodque vero ex ipsis sua peculiaria vitia ha-*  
*bet.* Vnde facile ratio colligitur, quare in Oeno *ex assiduo*  
*leguminum esu p)* *feminae et masculi crurum impotentes*  
*facti sunt.* Inflando enim dolores variaque incommoda pa-  
riunt, et fortasse desiderium veneris infringere posse vi-  
deantur, nisi ex placitis philosophorum sensus fortior de-  
biliorem tolleret, et interdum mariti, doloris vehementissi-  
mi stimulis exagitati, concumberent; id quod haud raro fa-  
ciunt podagrici. Accedit et et illud, quod rusticis et infe-  
rioris fortis hominibus tale ciborum genus vile ac pa-  
rabile solum relinquitur ad vitam sustinendam, et nihil  
tamen secius liberorum assatim est. Nihil igitur exinde  
damni nascitur.

#### §. IV.

#### *Corporis raritas et densitas, frigiditas et humiditas.*

Obtinuit porro apud priscos medicos doctrina quaedam  
communis ac percelebrata, quae *a corpore raro et denso,*  
*frigido*

n) *Ouid. Amor. L. III. Eleg. VII. v. 4.*

o) *L. Viſt. Acut. §. 59. p. 316. T. II.*

p) *L. Epidem. II. Sect. IV. p. 705. T. I.*



9

*frigido ac humido repetitur*, quae et si a multis hodie spernitur, tamen, modo rite explicetur, locum habere potest. Videmus enim quotidie, freti *Sandorii* placitis, quid striatum atque laxum methodicorum valeat, quantique usus eius cognitio sit in valetudine cum conservanda, tum redienda. Oritur vero *densitas corporis*, ut **HIPPocrates** q) memoriae prodidit, ab humoribus intus permanentibus, adeoque viri ob *σεροχωρίαν* parvas densatasque habent glandulas r), ac parum hinc succorum superfluorum relinquitur. Quibus cum labor assiduus et vehemens accesserit, ut prudenter bonus senex monet s), venaeque densiores cibos non facile recipiant, sequitur, ut succis crassioribus, adeoque semine densiori, tales viri scateant; id quod sane non satis idoneum est procreandae soboli. Inde etiam ratio intelligitur, quare **HIPPocrates** t) a coitu cum cibos durari, tum morbos augeri dixerit. Contraria *densitati varitas* est, perspiceruntque iam veteres u), transpiratione prospere cedente, ventrem astringi, adeoque illam multum conferre ad bonam valetudinem v), et si exinde debiliores videantur. Ex his etiam perspicitur, quid caussae sit, quod vir, ex frequentiori coitu w) venis factis amplioribus, venerem magis appetere dicitur, neque tamen ob nimis laxum corpus sufficere tanto tamque strenue exsequendo negotio Porro hinc ratio patescit, quare *Timochari* x), raro et transpirabili praedito corpore, statim ac veneri litasset, ces-

B

fauit

q) Aph. 63. Sect. V. p. 96. T. I. ubi simul reliquae species explicantur.

r) L. De Glandul. §. II. p. 421. T. I.

s) Ibid. et L. De Salubr. Diaet. §. II. p. 631. T. I.

t) Epid. VI. Sect. V. p. 811. T. I.

u) Ibid. Sect. III. p. 803.

v) L. De Aliment. §. 6. p. 596. et L. Salubr. Diaet. §. II. p. 631. T. I.

w) L. Nat. Puer. §. 22. p. 148. T. I.

x) Epid. V. §. 27. p. 789.



sauit sueta distillatio, successitque lassitudo, calor, capitis grauitas atque sudor.

Aliud vitium corporis, vt priscis medicis videtur, est *frigiditas*, qua procreatio sobolis impediri posse putabatur. Est vero corpus virile, vt **HIPPONCRATES** <sup>y)</sup> monuit experientia fretus, siccum pleumque ac frigidum, adeoque in iis fiat lentior sanguinis motus necesse est, vt exinde signa temperamentorum repetierit **PAULLUS AEGINETA** <sup>z)</sup>. Adeo enim in id genus hominibus torpor atque somnolentia, quoniam somnus, vt illis videbatur, refrigerat <sup>a)</sup>, atque tunc sanguis quasi intro fugit <sup>b)</sup>. Hinc ob virium imbecillitatem atque irritabilitatem Hallerianam imminutam necesse est, auctore **ORIBASIO** <sup>c)</sup>, viri venerem non adeo desiderent. Neque profecto, modo quaevis sine praeiudicata opinione reputes, falsum esse videtur **ARISTOTELIS** <sup>d)</sup> effatum, quo refrigeratio vasorum seminalium sterilitatis causa esse adfirmatur. Audiendum igitur est **HIPPONCRATIS** <sup>e)</sup> magni consilium, cum coitum morbis ex pitura, maxime frigida, oriundis, remedio esse perhibet.

Contraria *frigiditati* est *caliditas*, quae similiter generationis vim <sup>f)</sup> tollere debuit. Oritur vero illa ab humorum abundantia <sup>g)</sup>, et haud raro acrimoniam adiunctam habet. Hinc etsi, auctore **PAVLLO** <sup>h)</sup>, naturae ad *venerem idoneae sunt calidiores et humidiores*, tamen cum cor-

*pus*

y) L. De Diaet. I. §. 28. p. 203. T. I.

z) De Re Medic. I. 61. p. 362. Coll. Steph.

a) **HIPP.** L. De Flatib. §. 20. p. 411. T. I.

b) Epid. VI. p. 811.

c) Synopf. IX. 45. p. 149.

d) Ap. Galen. L. De Semin. c. 15. p. 202. T. III. ed. Charr.

e) Epid. VI. p. 811.

f) **HIPP.** Aph. 63. Sest. V. p. 97. T. I.

g) Epid. VI. Sest. VI. p. 97.

h) De Re Medic. I. 35. p. 355.

*pus calefactum humore vacuetur i), atque semen multum ciliatum k) debilitatem aliquam corporis inferat, conficitur, non adeo multum sperari ab ipsis hominibus, adeoque vere sensisse ORIBASIVM k), cum hos ab venere arceri vellet. Siccis naturis, inquit, maxime aduersa est venus; cauere autem praecipue debent tassitudines, aestus, sollicitudines, vigilias. Et paullo post: Concubitus omnes sicciores laedit, eos vero praedicti, qui praeterquam quod siccii sint, frigidi etiam sunt: solis vero calidis et humidis est innoxius.*

*Restat humiditas, quae eandem ob caussam infamis est apud veteres. Debet enim tunc temporis corpus esse nimis laxum, adeoque bene, ni fallor, demonstrauit magnus HIPPOCRATES m), Scythes hac de re coitus aut appetentes non fuisse, aut saltem non πολυγένες.*

His praemissis, quaeritur, quid de his veterum medicorum placitis statuendum sit. Negare equidem non ausim, virilitatem quodammodo retardari ac compesci quasi posse, prout aliquod horum vitiorum praeualeat, sed extingui prorsus, id nego et pernego, quia in frigidissimis ac calidissimis regionibus sit iusta sobolis procreatio, adeoque magna cautione opus est in hac doctrina defendenda.

### §. V.

#### *Pinguitudo corporis.*

Alia impotentiae causa putatur esse, *pinguitudo corporis nimia*. Neque, vt videtur, iniuria. Non enim non potest fieri, vt in hisce hominibus tandem sit bonorum succorum penuria, eamque ob rem seminis aut paucitate laborant, aut certe minus bonum habent. Exinde ratio in-

B 2

telligitur,

i) HIPP. L. De Diæt. II. §. 33. p. 230.

k) Paullus I. c. cit. 38. p. 356.

l) Synops. V. 51. et 52. p. III. seq.



telligitur, quare ARISTOTELES <sup>n)</sup> atque PLINIVS <sup>o)</sup> prohibent, viros pinguiores minus semenis effundere, siquidem illis idem accidere necesse est, quod femellis. Quae si paullo habitiores sunt, parum profecto habent, quod ad fetum bene nutriendum conferant. Porro in hac opinione est ORIBASIVS <sup>p)</sup>: *Vir pinguis, inquit, ad liberorum procreationem aptus non est, quia pudendum pudendo apte confiri non potest, et pingues parum semenis emittunt.* In quo consentientes habet AETIVM <sup>q)</sup>, PAVLLVMR), AVICENNAM <sup>s)</sup>, multosque praeterea alios. Est quidem haec res medicinae decretis consentanea, et experientiae testimoniis satis confirmata, viros, quo magis abundant pinguitudine, eo plerumque steriliores ac infecundiores esse; sed salua res est, modo desinat desidia otioque malo diffluere, modo velint gulæ tempcrare, quae horum vitorum mater et magistra est. Modica certe succorum pinguium copia nunquam impedimento erit iis, qui soboli procreandæ operam dare percipiunt.

## §. VI.

### *Motus et lassitudo.*

Porro tot atque tam varia sunt *motus* genera, tantusque eorum in medicina usus olim fuit, vt nefas duceremus haec silentio praeterire. Commemorant haec multis et explicarunt veteres medici, GALENVS, ORIBASIVS, PAVLLVS <sup>t)</sup>, maximeque omnium recentiori actate

HIER.

<sup>m)</sup> L. De Aere, §. 48. p. 356.

<sup>n)</sup> Generat. Animal. I. 18.

<sup>o)</sup> Hist. Nat. XI. 37.

<sup>p)</sup> Synops. IX. 45. p. 148.

<sup>q)</sup> Tetrabl. IV. Serm. IV. c. 26. p. 792.

<sup>r)</sup> De Re Medic. III. 74. p. 489. Coll. Steph.

<sup>s)</sup> L. III. Fen. 21. Tract. I. c. 8. p. 710.

<sup>t)</sup> De Re Med. I. 16. p. 350.

HIER. MERCVRIALIS u). Infensus autem prae ceteris veneri motus esse debet, quoniam, auctore GALENO v), seminis pernum consumere credebatur. An satis vere, iam paucis videamus. Nullus motus esse potest sine dispendio virium. Qui quo vehementior est, atque quo magis repetitur ab homine non adsueto satis laboribus, eo magis profecto ille laeditur. Praeclare hinc CELSVS x): *Extenuat corpus cursus, multa ambulatio, corporisque vehemens exercitatio.* Nascitur exinde torpor, difficilis membrorum motio, somni consequatio, venerisque sine dubio oblitio, qualem Scythis attribuit magnus noster HIPPOCRATES y). Sunt porro *lassitudinis*, quam in coitus impedimentis veteres collocarunt, variae formae variaeque curationis viae; quas si cuius penitus nosse interest, adeat ORIBASIVM z), AETIVM a) atque PAVLLVM b). Iam vero cum lassitudo laborem nimium consequatur, conficitur, haud temere RVFVM c) hanc procul ab iis abesse voluisse, qui veneris gaudia quaerunt. Post labores prauum est, inquit, concubere. — *Vitandae sunt lassitudines.* — *Cauendus est coitus a lassitudine.* Debilitas enim corporis summa exinde pertimescenda est: Quae si in creuerit, non potest non, diffatis exhaustisque spiritibus, ut bene PLATNERVS d) monuit, vir impar fieri cum semi mini confiendo, tum feliciter viriliterque in uterum mu-

B 3

liebrem

- u) De Arte Gymnast. IV. 2. p. 249. seq. ed. Amstel. 1672.
- v) De Sanit. Tuend. VI. 14. p. 148. T. VI. ed. Charr.
- x) De Medicin. I. 3. p. 28. ed. Kraus,
- y) L. De Aere, §. 52. p. 359. T. I.
- z) Synops. V. 15. p. 17.
- a) Tetrabl. I. Serm. IV. c. 40. p. 174. seq. vbi prae ceteris *lassitudines ex venere* describuntur et explicantur, ceteris non neglegitis.
- b) L. cit. c. 20 et 22. p. 351. sequ.
- c) Ap. Oribas. Collect. VI. 38. p. 301. seq. et Synops. I. 6. p. 8. cf. ap. Paul. I. cit. c. 6. p. 8.
- d) Diff. De Negot. Action. cet. §. 26. p. 326. Opuscul. T. I.



liebrem traiiendo. Commendant eam ob caussam veteres e)  
moderatos labores, moderatamque venerem, fugienda vero  
iubent ex venere delassatis f) balnea frigida. An satis vere,  
vehementer dubito. Hac enim via sola summi aetatis no-  
strae medici, inprimisque TISSOTVS g), sustulerunt perfa-  
naruntque infirmitates valetudinis, quas hodie perquam  
multi ex illicita mauiibusque emendata venere sibi contra-  
hunt. Sed neque hodie opus est, labore nimio multos  
prohibere. Sunt enim iis perquam similes, in quos Sene-  
ca h) inuehitur, qui sella se et lectica buc et illuc ferunt, et  
ad gestationum suarum, quasi defere illas non liceat, horas  
accurrunt; quos quando lauari debeant, quando natare,  
quando caenare, alius admonet, et usque eo nimio delicati  
animi languore soluuntur, ut per se scire non possint, an es-  
triant. An in his, nisi ad meliorem frugem redeant,  
magnum veneris desiderium esse potest? Evidem vix cre-  
diderim. Qua de causa

*Este procul vittae tenues, castaeque puellae!*

Nihil intus copiarum, nihil stimulorum est. Friget venus.

## §. VII.

### *Equitatio et venarum pone aures sitarum sectio.*

Reliquum est, vt de equitatione nimia et assidua pau-  
cis edisseramus. Constat enim inter omnes, Scythes morbo  
quodam proprio laborasse, quem HIPPOCRATES i) κέδωνα  
nominat.

e) Paullus I. cit. c. 35. p. 355.

f) Paull. I. cit. c. 51. p. 359. Similiter Oribasius Synops. I. 21.  
p. 15.

g) Von der Onanie Abschn. IV. n. 7. p. 191. sequ. ed. germ.

h) L. De Breuit. Vit. c. 12. p. 325. T. I. ed. Lipf.

i) L. De Aere, §. 50. p. 357. sequ.

nominat. Qui qualisue sit, iam non attinet multis disquirere: haec enim alio loco k) considerauimus. Ait vero senex noster, iis haec *κέδωτα* accidisse a cruribus ex equis pendentibus, indeque illos factos fuisse claudos; tandem successisse lassitudinem et impotentiam, quam ex more istorum temporum deae Veneris irae attribuerunt, ut HERODOTVS<sup>l)</sup> pluribus docuit, HIPPOCRATES autem, vt medicum decet, a solo vitae genere repetendum existimauit, siquidem in solis diuitibus illud morbi genus reperiebatur. Iam vero cum ex equitatione fistulae m), nec non inguinum tumor, varices et *κέδωτα* n) subnata sint, mirum esse potest nemini, quod Scythaе λαργένειν νάνισοι et ἐνεργοειδέσατοι dicantur, illisque idem illud acciderit, quod M. SERVILIO apud LIVIVM o), tumor, puta, inguinum. Hoc quoque, quod *ridetis*, inquit ille, in equo dies noctesque per sedendo habeo, nec magis me eius, quam cicatricum barum, pudet poenitetque; quando nunquam mibi impedimento ad rem publicam bene gerendam domi militaque fuit. Egregie vero haec omnia; Sed ad negotia veneris exercenda impedimento et esse possunt, et vere sunt. Ad priora sufficit suspensorium, ad haec vero non item, quippe tales viros reformidant haud raro mulieres, ob dolorem atque incommodum exinde oriundum. Neque tamen facile viri herniosi sine his auxiliis vivere possunt, vt infra pluribus videbimus. Sin vero nimis portentosum fuerit hoc inguinis foedi vitium, illico patet, fieri non posse coitum, adeoque nec sobolem progenerari. Quare cum id genus herniae siue callosi et inueterati tumores περὶ τὰ γεννητικὰ μόρια, vt

TRILLERVS

k) Morbor. Antiquit. Sect. II. n. 8. p. 192. sequ.

l) In Euterpe.

m) HIPP. L. De Fistul. §. 1. p. 680. T. II.

n) Epid. VII. §. 58. p. 877. T. L.

o) Hist. Rom. XXXXV. 39. p. 216. T. III. ed. Ernest.



TRILLERVS *p*), ὁ παῦν, vertit κέδματα, in Scythis adfuerint, intelligitur, non male, rebus ita se habentius, equitationem assiduam in coitus impedimentis collocari potuisse. Sed cui non noti sunt equites armati, qui eo bello, quod nuper confectum est, et hostes crudeliter interemerunt, et mulierculas blande comprimere non sunt veriti?

Haec certe causa longe antistat illam, quam in iisdem Scythis paullo post repetit bonus senex *q*), ab *venis pone aurem sectis*. Multa sunt, quae hac de re ab auctoribus in utramque partem disputantur. Scio equidem, ex doctrina veterum *r*) duas venas ad aures, indeque ad testes ipsos deferri debere; deinde etiam scio, eas, quae a caua vena productae intus feruntur ad malleolos *s*), id est, iliacas, ἀναγ-πον siue infecundum et sterilem virum efficere debere, quam primum infescerunt. At vero infecuerunt medici arterias pone tempora inde a **GALENO** *t*) usque ad aetatem nostram, si quos vertigo et diurni capitis morbi intestarunt. Immo etiam hodieque haud raro idem fit, sine ullo virilitatis extinguendae metu.

Hinc miremur **VALESII DE TARANTA** *u*) ingenuam confessionem. *Venae retro aures transuersim incise*, inquit, *sterilitatem inducunt*: *Ego tamen sanguinis missionem ex illis saepe fieri iussi, tam in viris, quam mulieribus, qui postea secundi apparuerint*. Accedit, quod Scythaes ipsi tunc demum, cum se ipsos sentiunt minus idoneos ad res venereas, et mentulam

*Postquam*

*p*) Obseruat. Critic. IV. 20. p. 426.

*q*) L. De Aere, §. 50. et 51. p. 357. Repetierunt hoc praeceptum ex **HIPPONATE** nostro Avicenna L. III. Fen. XXI. Tract. I. c. 8. p. 710. ed. Basil. 1556.) Arnoldus Villanouanus, (De Morb. Cυ-  
rand. II. 25. p. 204. b. Opp. Argent. 1541.) cet.

*r*) **HIPP.** L. De Loc. in Hom. §. 7. p. 366. T. I.

*s*) Ibid. §. 8.

*t*) Apud Oribasium Synopf. I. 12. p. 10. Coll. Seph.

*u*) Philon. Pharmaceut. VI. 1. p. 491. ed. Frst. 1599.

*Postquam nullas consurgere posse per artes,*

*Immemoremque sui procubuisse vident v),*

inhumaniter istas venas pertractarunt. Quare nec opus habemus illa impotentiae caussa, neque eo eonfugio, quo DAN. SENNERTVS w) multique praeterea alii vñi sunt, nimirum *immodicam sanguinis euacuationem ad sterilitatem facere*, aut etiam a consensu cerebri cum partibus genitalibus et *immodica cerebri a nimia sanguinis effusione refrigeratione* haec omnia repeti oportere. Repugnant enim illa sanioris medicinae placitis, quoniam multos scimus cranium vñtos, et fonticulis large ac effuse manantibus fuisse, et nihilo tam secius identidem liberos ex vxoribus suscepisse.

### §. VIII.

#### *Senium.*

Similis ratio impotentiae est, quae ab *aetate* sola repetitur. Desunt haud raro (fatebor enim) senibus et vis neruorum, et seminis boni copia, quam coitus fecundus postulat, neque facile ARISTOTELI x) ac AVICENNAE y) repugnare ausim, cum viros septuagenarios hac de caussa rudi donandos existiment. Sed haec non omni exceptione maiora sunt, quoniam pañim exempla z) in contrariam partem adferuntur,

v) Ouid. Amor. III. Eleg. VII. v. 75. sequ.

w) Praef. Medicin. L. III. P. IX. Sect. II. c. I. Quaest. I. p. 946. sequ.

x) De Generat. Animal. IV. 19.

y) L. III. Fen. XXI. Tract. I. c. 8. p. 709.

z) Sic Ludou. Bonaciolus Ennead. Muliebr. c. 3. p. 237. T. I. Gynaec. *Masinißam regem, Catonem Censorium cet. commémorat, quibus* equidem adiunxerim scriniarium septuagenario maiorem, virum honestum et probum, qui vbi vetulam vxorem composuerat, ex vegeta et sana iuuençula per triennium puellos suscepit. *Huc etiam pertinet,*



tur, nobisque mercator quidam notus est, qui ex propria vxore viginti liberos sustulit, omnes omnino ancillas grauidatas dimisit, et iam senex vegetus, se feminis adhuc satius facere posse publice profiteretur. Et cui non dictus THOM. PARRE est, qui centum et viginti annos natus adulterio deprehensus est, referente magno HARVEIO a)? Hinc semper spectanda est vitae praegressae valetudinisque ratio, nisi velis identidem in iudicando falli. Interdum post mortem in salacioribus reperta sunt vasa seminalia vel plura, ut vulgo fit, vel maiora, et duo ob rem venereum infames secuit olim PHIL. SALMUTHVS b).

### §. IX.

#### *Ebrietas.*

Neque *vinum* ipsum non culpandum videtur priscis medicis. Huius varias dotes, species, vires, multis anquirere, non lubet, nec licet, volumusque huius rei cupidos amandare ad HIPPOCRATEM c), PAVLLVM d) ceterosque viros. Vere quidem cecinit Q. SERENVVS SAMMONICVS e).

*Languidus antiquo purgatur penis Iaccho,*  
et tamen, si qui sese largiter inuitarint, non poterunt non solidae corporis partes infirmari, succi vero, incredibile, quantum contaminari, adeoque et semen ipsum vel minui prorsum, vel a mitiore fluidiorique sua natura degenerare faltem

tinet adulter septuagenarius decollatus ap. *Salmuth.* Cent. III. Obs. 59. p. 140. Plura vide, si placet, ap. *Illustr. Hallerum Element. Physiol.* p. 575. T. VII.

a) Ap. *Haller. Praelect. Acad. Boerb.* §. 658. p. 443. P. I. Vol. V.

b) *Obseru. Medic.* 23. Cent. I. p. 16.

c) L. Viſt. Acut. §. 25. p. 288. et p. 294. T. II.

d) *De Re Medic.* I. 95. p. 374. Coll. Steph.

e) *De Medicin.* c. 35. v. 2. p. 182. ed. *Humelb.*

saltem debet. Etenim DISARIVS apud MACROBIVM f): Hau-  
sto mero plurimo, inquit, sunt viri ad coitum pigriores, nec  
idoneum conceptioni semen ferunt, quia vini nimetas, ut  
frigid, facit semen exile vel debile. Hinc facile intelligi-  
tur, quid caussae sit, quod HIPPOCRATES g) viro ceteroquin  
sano et vegeto aliquem vini generosi vsum concesserit,  
ebrietatem contra negarit. Neque abhorret ab hac senten-  
tia RVFVS apud ORIBASIVM h) atque AETIVM i). Nocet  
vero quaevis vini intemperantia, ut bene iam alicubi mo-  
nuit OVIDIUS k).

*Vina parant animum veneri, nisi plurima sumas,*  
*Vt stupeant multo corda sepulta mero.*  
*Nutritur vento, vento restinguitur ignis:*  
*Lenis alit flamمام, grandior aura necat.*  
*Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas*  
*Eripiat. Si qua est inter utramque, nocet.*

Densat enim humores, et corpus exsiccatur mirifice,  
Qua mobrem profecto non male iudicavit diuinus PLATO l),  
cum semen ebriorum, tanquam inutile, reprobaret, atque  
ATHENAEVS m) vna cum ARISTOTELE n) hos omnino omnes  
infe-

f) Saturnal. VII. 6. p. 525. ed. Lugd.

g) L. De Superfet. §. 18. p. 657. T. II. et L. cit. §. 11. p. 652.  
vbi, suadente Coo sene, vir veneri se accingens debet esse ἀθώ-  
ητος, mulier vero ἀσιτος. Cf. L. De Steril. §. 11. p. 624. At L.  
De Vet. Medic. §. 37. p. 35. T. I. vinum debilitare dicitur.

h) Synopf. I. 6. p. 10. Collect. VI. 38. p. 300. sequ. Euporist. I. 13.  
p. 580. Coll. Siepb.

i) Tetrabl. I. Serm. III. c. 8. p. 118.

k) Remed. Amor. v. 805. sequ.

l) Ap. Galen. ni fallor, L. Quod animi mores temper. sequ. cf. Au-  
cenna L. III. Fen. XXI. Tract. I. c. 8. p. 709.

m) Deipnoph. I. 24. p. 31. et L. X. 8. p. 431. ed. Dalech. secundum  
Platonem vinolentia recens nuptis aduersa putatur. An igitur sa-  
pienter



infecundos existimaret. Dicuntur enim ibidem ὅι μεθύοντες ἀφεόδιστάς εἰναι οὐδινάτο. Sed cauendum est, ne temere hisce veterum et recentiorum medicorum effatis fidem adhibeamus. De nimio continuatoque vini vsu ac ebriositate nullus dubito; at de subita ebrietate, vehementer, auctore poeta:

*Vt venus eneruat vires, sic copia Bacchi.*

Id vnum tamen certum est, viros ebrios ob grauitatem corporis sensuumque hebetudinem paullulum videri inhabiles progenerandis liberis, at non prorsus infecundos. Etenim aut non potuisset tam vere et accommodate experientiae dicere DIogenes CYNICVS, cum in iuuenem stupidum incidisset: Ό πατησί επειρέσει μεθύων, aut necesse est viris ebriis imponant callidae mulieres. Quid enim prohibet tam strenuos vini potatores, quo minus cum OVIDIO o) sentiant:

*Omnia pro veris credam; sint ficta, licebit.*

*Cur ego non votis blandiar ipse meis?*  
Sed haec de ebrietate haec tenus.

## §. X.

### *Animi perturbationes.*

At animi perturbationes, si quae inter maritum vxoremque obtineant, impedimento sunt, quo minus fiat conceptio. Scio equidem, vulgo proferri a Stoicis p) discrepantes coenuntium facultates et qualitates, neque nego, magni momenti hanc doctrinam in medicina esse, cum in credi-

pienter naturaeque apposite apud nos ex maiorum instituto nuptiae saltando et comedendo initiantur?

n) Probl. IV. Sect. III. p. 59. et quam maxime Probl. 33. p. 68.  
T. IV. ed. Du Vall.

p) Amor. II. Eleg. II. v. 53. sequ.

p) Ap. Galen. Hist. Philos. c. 32. p. 53. T. II. ed. Chart.

credibilis eius vis sit ad varios corporis motus et accelerandos, et retardandos. Porro et illud RVFO q) concesserim, fugiendas quasuis cupiditates iis esse, qui veneri student, immo vero nec AETIO r) temere refragari ausim, qui inuitos coitus inanes ac steriles pronunciauit. Multum enim valet phantasia, amor atque voluptas, et haud raro sine his nulla fit arrectio, praesertim, si qua reuerentia aut pudor accesserit. Quare nihil stultius, nihil absurdius ea lege quorundam iureconsultorum fuit, qua coram iudice corpora misceri debuerant ad sterilitatis caussas inueniendas ac detegendas. Virum ferreum oportet esse, inquit Illusfr. HALLERV S), vt iis cum impedimentis venerea iura persiciat. Neque absimiliter GORDONIVS t). Sed solum odium aut quemuis alium mentis nostrae motum fecunditatem impedire posse, quotusquisque est, qui hoc sibi persuaderi patiatur? Est enim, experientia teste ac auctore OVIDIO u), in amore

*Quod iuvat, exiguum: plus est, quod laedit amantes.*

*Proponant animo multa ferenda suo.*

*Quot lepores in Atbo, quot apes pascuntur in Hybla;*

*Caerulea quot baccas Pallados arbor habet;*

*Littore quot conchae, tot sunt in amore dolores.*

*Quae patimur, multo spicula felle madent.*

Hinc innumerae rixae, iurgia, clamores, eiulatus, bella, pax rursus, idque saepe numero, si vna falsa mulieris lacrymula accesserit, aut maritus, fidi amorum magistri v) memor,

C 3

Oscula

q) Ap. Oribas. Synopsi. I. 6. p. 8. cf. Collect. VI. 38. p. 302. Coll. Steph.

r) Tetrabl. IV. Serm. IV. c. 26. p. 792.

s) Element. Physiol. L. XXVII. Sect. III. §. 7. p. 557. T. VIII.

t) Lil. Medic. Part. VII. c. 1. p. 597.

u) Art. Amand. II. v. 515. sequ.

v) L. cit. v. 459. sequ.



*Oculu dat flenti: Veneris dat gaudia fienti.*

*Pax erit: Hoc uno soluitur ira modo.*

Desinamus igitur submirari miras amoris figuram, magnumque liberorum prouentum, qui certe, si haec veterum doctrina omni exceptione maior esset, nullus esse debuit. Nouimus praeterea mulierem, quae decies concepit a viro tyranno atque carnifice, qui nullum diem praeterfluere passus est, quo a conuiciis, flagris, fustibus, pedibus, sibi temperaret, nulla prorsus habita temporum aut fetus ratione, et nihilo tamen secius subinde repetuit femina vel inuita veneris ludos, atque bona cum Lucina semper peperit. Abeant igitur omnes, qui coitus coactos, semen diuerso tempore emissum, et id genus nugas alias, identidem crepant, tanquam fecunditatis impedimenta, ut etiam AVICENNA w) censuit. Ego vero nuper non potui non subridere, cum hac de re mulier quaedam maritum, quod aequalem semenis iactum non expectaret, seque voluptate, nescio, qua frustraretur, repudiandum toroque eiiciendum putaret. Etenim bene IAC. SYLVIVS x): *Plurimae id se sentire negant, et tamen concipiunt. Ea igitur causa fuerit vana. Sed mirari subit eos, qui virile semen ante muliebre emissum scribunt infecundum, effusum autem a viris in basnum, deinde a mulieribus post virorum egressum in eodem lauantibus, nulla veneris apprehensione, tamen in uteros fuisse attractum, et eas concepisse, cum credibile non sit, mulieres suum nunquam emisso sine veneris apprehensione. Haec vero figura potius fuerint mulierum impudicos concubitus hoc praetextu celare conantium. Quae si recipiuntur, quid mulieri, absente diu marito, viduae, virgini, moniali, non liceat? Actum mehercle foret de maritis, si hoc ratiocinandi genus ulterius increbresceret, et si negari nullo modo potest, dari hodie-*

w) L. III. Fen. XXI. Tract. I. c. 8. p. 710.

x) De Hom. Generat. p. 357. T. I. Gynaec. ed. Wolph.

hodienum feminas, quae si forte praeter spem atque opinionem ex viro alieno conceperint, hoc a spiritu effeti mariti siue aura seminali sola factum esse publice profitentur, criminis caussam, ut videtur, a se amoliturae. Sed haec, inquit meus HORATIVS,

*Credat Iudeus Apella!*

§. XI.

*Voluptas et crebra venus.*

Propius a vero abest *voluptas*. Oritur autem illa, ut HIPPOCRATI y) videtur, ab arteria seminali succi huius plenissima; at vero secundum GALEVM z) ex materia et instrumentis appositis. Quorum sensus cum sit natura acutior, illico nascitur in coitu titillatio, pruritus, quasique conuulsio. Id quod eo minus mirum esse debet, cum plurimi in pudendo nerui sint, effectores quasi et auctores huius sensus maximi atque gratissimi, eamque ob causam non potest non voluptas a) summa ab amplexu veneo prouenire. Etenim bene auctor HIPPOCRATICVS b): *Annuorum quidem temporum ordo terminus est brutis ad coitum; at homo perpetuo insano libidinis oestro (οισεγμανην της ἀσελγείας) stimulatur.* Sed nocet nimia eius repetitio, quippe, monente AETIO c), *voluptas per se neruorum corporum robur et firmitatem dissoluit, multo vero magis, si cum vebementi motu perficiatur.* In quo bene consentiunt

GALE-

y) L. De Ven. §. 23. p. 308. T. I. ed. Lind.

z) Vtil. Part. XIV. 9. p. 644. et 646, 652. T. IV. ed. Charr.

a) Galen. Symptom. Causs. I. p. 57. T. VII.

b) Epist. ad Damager. p. 925. T. II.

c) Tetrabl. III. Serm. IV. c. 20. p. 591. Coll. Stepb.



GALENVS d) atque CASSIVS e). Voluptas quasi dissolutio, inquit, et corporis remissio est, idque, ut perbelli FLEMMINGVS f) cecinit, quoniam

Neruos frangit quaecunque voluptas.

Ex his facile colligitur, vim generationis instrumentis hac ex re inferri et posse, et oportere, siquidem haud rara eorum exempla sunt, qui ex nimia coitus voluptate illico animam vitamque exspirarunt. Id quod apud veteres CORNELIO GALLO et TITO AETHERIO g), recentiori vero aetate multis accidit, quorum nomina ex PONTANO, ALEXANDRO BENEDICTO, FVLGENTIO, MARCELLO DONATO cet. sedulo collegerunt SCHENCKIVS h) atque FORESTVS i). Et cui non dictus IO. MANARDVS k), medicus Italus et senex depontanus? Qui cum baruspis admonitu foueas quasque sedulo deuitaret, ne qua ei exitiosa foret, inter amplexus puellae vegetae primos misere periiit? Hinc versus in eum iocosi et lepidi prostant:

In fouea qui te periturum dixit aruspex,

Non est mentitus: Coniugis illa fuit.

Sed aliquas certe caussas, quare multi hanc vopluptatem quaerant impensis, atque iusto salaciiores sint, vide, si placet, apud BONETVM l).

Similiter iudicandum est de nimio coitu. In cuius incommidis ac detrimentis ad viuum describendis, tam accurati et veri sunt veteres, nihil ut supra. Solus certe EPI-

CVRVS

d) L. De Semin. p. 209. T. III.

e) Probl. Medic. VIII. p. 755. Coll. Steph.

f) Neurograph. L. I. v. 375.

g) Ap. Valerium Maxim. IX. 12. et Plin. Hist. Nat. VII. 53.

h) Obseruat. Medic. L. IV. Coit. Obsf. 9. p. 533.

i) Obsf. 20. L. XXVI. p. 591.

k) Ap. Stolle Hist. der medic. Gelahrh. P. I. p. 146. sequ.

l) Sepulchret. L. III, Sect. 34. Obsf. I. p. 1340. sequ. T. II.

CVRVS m), qui ob voluptatis studium apud multos veterum ac recentiorum fato, nescio, quo male audit, quemcunque veneris vsum minus salutarem reputauit, id quod GALENVS, addita quadam cautione, tollere allaborat. Fac vero, coitum esse paruam epilepsiam, vt DEMOCRITO<sup>n</sup>) visum est, tunc etiam necesse est fiat, auctore RVFO apud AETIVM o), lacinatio illa in coitu contingens conuulsioni quodammodo cognata, adeoque corpus vehementer debilitari debet, si qui modum excederit. Praeclare hinc omnia hisce verbis complexus noster CELSVS p) est: *Concupitus neque nimis concupiscendus, neque nimis pertimescendus est. Rarus corpus excitat, frequens soluit. Cum autem frequens non numero sit, sed natura, ratione aetatis et corporis, scire licet, eum non inutilem esse, quem corporis neque languor, neque dolor sequitur. Idem interdiu peior est, tutior noctu: ita tamen, si neque illum cibus, neque hunc cum vigilia labor statim sequitur. Neque absimiliter HIPPOCRATES q), RVFVS r), ARETAEV<sup>s</sup>) GALENV<sup>t</sup>, PAVLLVS u).* Hinc modico veneris vnu interdum morbos quosdam longos et pertinaces sanatos fuisse passim legimus. Sic a coitu sublata dicuntur *capitis grauitas*

## D

- m) Ap. Galen. Art. Medic. c. 24. p. 218. T. II. cf. Oribas. Collect. VI. 37. p. 300.
- n) Ap. Galen. ni fallor, Loc. Affect. V. 6. Sed ap. Gellium Noct. Attic. XVIII. 2. p. 268. b. ed. Ald. Hippocrati hoc placitum adiudicatur.
- o) Tetrabl. II. Serm. II. c. 23. p. 260.
- p) De Medicin. I. I. p. 21. ed. Krauf. vbi vide simul Lommii Com. ment. De Sanit. Tuend. p. 37. Similiter Rufus ap. Oribas. Collect. VI. 38. p. 300.
- q) De Morb. II. §. 49. p. 75. T. II.
- r) Ap. Aetium Tetrabl. I. Serm. III. c. 8. p. 117. sequ. et Oribas. Collect. VI. 38. p. 300. sequ.
- s) De Sign. et Causs. Diut. Morb. I. 7. p. 24. et L. II. 5. p. 41. Coll. Steph.
- t) Ap. Oribas. I. et p. cit. c. 37.
- u) De Re Medic. I. 35. sequ. p. 355. Coll. Steph.



*uitas, ciborum faſtidium, febres, torpores, melancholiam, insaniam, morbum comitialem v), morbos a pituita, vt HIPPOCRATES x) perhibet, denique febrem quartanam ipsam, vt ex aliorum mente Q. SERENVS SAMMONICVS x) litteris prodidit.*

*Quidam etiam miranda ferunt, veniente calore,  
Turantes ludum veneris munusque petendum.*

Sed multo mehercle maiora damna et detrimenta sunt, quae a venere subnascuntur, adeoque eam cum in variolis auertendis audacter disuasit Rhases y), tum quosuis morbos et febrem ipsam exinde incendi docuit HIPPOCRATES z). Eandem ob cauſsam nonnulli, dum coire incipiunt, hircum olere ac sanguinem e naribus a) profundere solent. Hinc venter inflatur b) ac intumescit a veneris negotio; Hinc proueniunt dolor capitis c), phrenitis d) atque mors, mictus cruentus e), virgæ inflatio, inflammatio, abscessus f), tabes g), fccitas

v) Ap. Oribes. Collect. VI. 37 et 38. p. 300. Hinc a coitu capitis imbecillitatem repetit ALEXAND. TRAIANVS PETRONIVS ap. SCHENCK. Obs. 18. L. IV. p. 528.

w) Epid. VI. Sect. V. p. 811. cf. L. De Diaet. I. §. 31. p. 205. T. I.

x) De Medicin. c. 48. v. 14. p. 221. b. ed. Humell.

y) De Variol. c. 5. p. 57. ed. Chamm.

z) Epid. III. Aegr. X. p. 737. T. I. Vide plura ap. Illustr. Haller Praelect. Academ. Boerb. p. 447. P. I. Vol. V.

a) Epid. VI. Sect. III. p. 805. cf. Censorin. De Die Natal. c. 14. p. 92. et in not. Lindenborg.

b) Hipp. Ibid. p. 804.

c) Hipp. L. Viſt. Acut. §. 64. p. 319. T. II.

d) Epid. III. Aegr. 16. p. 741.

e) Sic auctor L. De Struct. Hom. §. 6. p. 285. T. I. ed. Lind. cf. Holler. Comm. ad Hipp. Aph. 78. Sect. IV. p. 445. Porro ex Archigene ref. Schenck. Obs. Medic. L. IV. Coit. Obs. I. p. 531. Aristotel. Generat. Animal. I. 18. Cf. Sennert. Pract. Medic. L. III. P. IX. Sect. II. c. 7. p. 971. et Fernel. Pathol. VI. 13. p. 612. ed. quint.

f) Forest. Observ. Medic. L. XXVI. Obs. 3. p. 564. ed. Frft. 1602.

g) Hipp. Epid. VI. Sect. VIII. p. 822. et Epid. VII. §. 36. p. 859.

siccitas medullae spinalis *b*), seminis defectus et debilitas *i*), capillorum defluuium *k*), satyriasis *l*), epilepsiam *m*), tetanus *n*), resolutiones *o*), tremores corporis *p*), fatuitas *q*), visus hebetudo et caligatio *r*), suffocatio *s*), melancholia *t*) cet. Quibus se ita habentibus, et magna hac in re manet mansuetus veterum auctoritas, cum nimiam venerem in causis impotentiae ponerent, et cauebit optimus quisque, ne nimirum sit in veneris malesuadae cupediis degustandis. Tunc enim, magistro NASEONE *u*),

*Attenuant vigiles corpus miserabile curae,  
Adducitque' cutem macies, et in aera succus  
Corporis omnis abit.*

Est vero haec sterilitatis cauissa vel maxime hac nostra aetate commemoratu dignissima. Etenim vbiuis videoas umbras hominum, non homines, et querulos haud raro audias maritos, qui vbi ad pugnas et praelia ventum est, imbelles reperiuntur, et quibus

## D 2

## Tatia

- b)* HIPP. L. Intern. Affect. §. 14. p. 214. T. II.
- i)* Galen. L. De Semin. p. 209. T. III. ed. Chart.
- k)* Alexander Trall. I. 2. p. 4. ed. Basil.
- l)* Arctaeus De Cauff et Sign. Acut. Morb. II. 12. p. 18. Coll. Steph.
- m)* HIPP. ap. Gellium Noct. Attic. XIX. p. 268. a. ed. Ald. Sic etiam Henr. ab Heer Obs. Medic. 18. et Swieten. Comment. in Boerb. Aph. 1075. p. 412. T. III. ed. Hildb.
- n)* Boerbaauius (De Morb. Nervor. p. 462. sequ.) Sauvagesius (No. fol. Method. p. 230. T. V. et nuper Tiffozus V. Cl. Von der Onanie Abschn. IV. p. 46. ed. germ. vbi plura. Cf. Haller Prael. Acad. §. 641. p. 288. P. I. Vol. V. et Element. Physiol. p. 512. T. VII. o) Lomminius Comment. De Sanit. Tuend. p. 37.
- p)* Ap. Haller. Praelect. Acad. Boerb. p. 446. P. I. Vol. V.
- q)* Salmuth. Obs. Medic. 61. Cent. II. p. 39. et Schurig Spermatol. p. 260.
- r)* Panarol. L. I. Obs. 46. et L. II. Obs. 27.
- s)* Hanc ex quoouis congressu vidit Plater. Obseru. Medic. L. I. p. 174.
- t)* Swieten, Comment. §. 1093. p. 469. T. III.
- u)* Metamorph. III. v. 396. sequ.



*Tacta — veluti gelida-membra cicuta,  
Segnia propositum defituere suum.*

Quid ergo mirum, si femellae, veneris, vt auctor est ARISTOTELES v), cum maxime ἀπληστοί, negligant, spernant et fallant id genus homines euiratos, tanquam inutilia terrae torique pondera, atque voluptatem inconcessam sectatae liberos incerto patre conceptos identidem pariant? Etenim tunc temporis mariti vxoribus vel repudium mittant necesse est, impotentiam suam publice professi, vel saltem in OVIDII w) similitudinem exclament?

*Aut ex me conceperat, aut ego credo:*

*Est mihi pro facto saepe, quod esse potest.*

Cause ramen, ne temere de concubitu iudices, aut ne quid nimis. Etenim, bene monente LOMMIO x), scire læget, bunc non esse numero aestimandum, quoties scilicet aliquis id opus expleuerit, sed ex natura seu viribus hominis finiendum. Interest enim, non quot veneris exercitiae sint vires, sed quae aetas, quae vires, quae corpora sint. Nam si firmus senex, iuuenis imbecillus est, quid miri, si idem subinde concubitus canescensem erigat, florentem debilitet, tum huic fuisse frequens, illi rarus dicatur, viisque, si is rarus est, qui corpus non soluit. Siquidem ut non omnibus venus iuxta inimica est, ita nec salutaris est. Proin frequentem concubitum non numerus, sed corpora faciunt. Nobis vero sufficit demonstrasse, qua ratione nimius coitus infensus soboli procreandae esse possit. Rara autem et aetati, viribus, corpori, accommodata satis in perquam multis medicina est.

### §. XII.

v) Probl. 27. Sect. IV. p. 76. T. IV. ed. Du Vall.

w) Amor. II. Eleg. XIII. v. 5. sequi.

x) L. et p. cit.

## §. XII.

## Varia seminis vicia.

Magna in viro vis est *seminis*, cuius naturam penitus nosse, si cui placeat, adeundus est prae ceteris ILL. HALLERVS <sup>yj</sup>). Quod si aut prorsus defecerit, aut ab indole sua naturali varie degenerarit, facile intelligitur, virilitatem et materiam liberorum procreandorum tolli quaque exstingui oportere. Iam non attinet veterum discordias de natura *seminis* <sup>z)</sup> atque loco, unde adueniat <sup>a)</sup>, ubi secernatur cet. multis definire. Constat enim inter omnes, sine semine bono fecunditatem esse non posse, adeoque iure suo DIOCLES <sup>b)</sup> in signis impotentiae retulit *semen parcius*, *tenue*, *insecundum*, *AETIVSC*) contra *semen feruidum*, *et velut torrefactum*, *vel frigidum*, *tenue*, *aquosum*, *langidumque*, *quale est decrepitorum*, *vel crassius*, *quam oportet*. Etenim hae *seminis* dotes semper malae sunt, quippe tunc temporis locum habere nullo modo potest liberorum procreatio. Sola liquoris huius optimi et pernecessarii copia <sup>d)</sup> requiritur ad embryonis vitam quasi e somno excitandam, immo vero ea sola sanos vegetosque viros stimulat <sup>e)</sup> ad veneris munia obeunda feliciterque peragenda.

D 3

Quare

- <sup>xj</sup> Elem. Physiol. L. XXVII. Sect. II. §. I. sequ. T. VII.
- <sup>z)</sup> Vide Galen. Hist. Philos. c. 31. p. 51. Descriptionem vero *seminis*, et qua ratione *γόνος* differat, dedit Galen. Definit. Medic. n. 94. p. 242. T. II. ed. Chart.
- <sup>a)</sup> Hipp. L. De Genit. §. I. p. 124. et L. De Aëre, §. 36. p. 349 T. I. et De Morbi Sacr. §. 5. p. 325. T. II. Galen. L. De Semin. c. 12. p. 199. T. III. *semen a sanguine oriri et in testibus fieri auctor est; id quod negat et pernegat Aristotleles ibid. p. 201.* sequ. Alii iterum aliter.
- <sup>b)</sup> Ap. Galen. Hist. Philos. c. 32. p. 53. T. II.
- <sup>c)</sup> Tetrabl. IV. Serm. IV. c. 26. p. 792. Coll. Steph.
- <sup>d)</sup> Galen. Vtil. Part. XIV. 12. p. 649. T. IV.
- <sup>e)</sup> Galen. De Sanit. Tuend. VI. 14. p. 184. T. VI.



Quare cogitanti mihi DIOGENIS actionem, qua, cum puel-  
lam vendibilem diutius exspectasset, stimuli venerei longe  
impatientissimus semen ipse manibus prolectauit, nullo mo-  
do libet aut damnare prorsus, aut famae maculam sempiter-  
nam inurere, cum sciam ego quidem homo medicus, se-  
men et quantitate, et qualitate nocere posse corpori. Siue  
igitur illud nimis recesserit a naturali forma, irritus esse de-  
bet concubitus; siue maiori, quam fas est, licentia profun-  
datur, illico subnascetur resolutio stomachi, valetudinis in-  
firmitas, mentulaque torpor, id quod vel talium virorum  
ora ipsa, et habitus corporis satis superque docent. Sunt  
enim graciles, imbecilli, pallidi, marcidi, cauisque oculis,  
siquidem, auctore ARISTOTELE f) ac experientia teste,  
visus a seminis profusione hebetatur et tantum non tollitur.  
Multi profecto veteres ac recentiores sunt hisce in morbis  
describendis, qui a nimia seminis profusione oriuntur, HIP-  
POCRATES g), ARETAEVS h), PHILAGRIVS apud AETIVM i),  
LOMMIVS k), TVLPIVS l), FRID. HOFFMANNVS m), BOER-  
RHAAVIVS atque SWIETENIVS n), LEVISIVS o), TISSOTVSp),  
multique praeter hos alii, quos omnes omnino quo minus  
adducamus, per scriptioris augustias prohibemur, excepto  
ill.

f) Generat. Animal. II. 5. At vero Avicenna L. III. Fen. XXI. Tract. I. c. g.  
p. 709. corum semen inutile iudicat, qui plurimum utuntur  
coitu.

g) De Morb. II. §. 49. p. 75. T. II. ed. Lind.

v) De Sign. et Causi. Diut. Morb. I. 7. p. 25. et L. II. 5. p. 41. Coll.  
Steph.

i) Tetrabl. III. Serm. III. c. 34. p. 575. sequ.

k) Comin. De Sanit. Tuend. p. 37. sequ.

l) Obseruat. Med. L. III. c. 24.

m) L. De Morb. ex nin. vener. §. 18. Suppl. II. P. I. p. 496. et pa-  
ssim in Consult.

n) Comment. ad Aph. 776. p. 412. T. III. ed. Hildb.

o) A practical Essay upon the tabes dorsalis, Lond. 1758.

p) Von der Onanie Tb. I. Abschn. I. p. 7. sequ. ed. germ.

III. GAVBIO q). Immoderata seminis profusio non solum utrissimi humoris iactura, sed ipso etiam motu conuulsu, quo emittitur, frequentius repetito, inprimis laedit. Etenim summam voluptatem vniuersalis excipit virium resolutio, quae crebro ferri nequit, quin eneruet. Colatoria autem corporis, quo magis emulgentur, eo plus humorum aliunde ad se trahunt, succisque sic ad genitalia deriuatis, reliquae partes depauperantur. Inde ex nimia venere lassitudo, debilitas, incessus delumbis, encephali dolores, conulsiones, sensuum omnium, maxime visus, hebetudo, caecitas, fatuitas, circulatio febrilis, exsiccatio, macies, tabes et pulmonica, et dorsalis, effeminatio rel. En veterum et nostrorum medicorum consensu! Quae mala dum incipiunt, nonnunquam persanantur; at raro aut nunquam, si iam invaluuerunt. Accedit, quod multi semine bono non destituuntur, at in coitu illud vel proicere non possint, vt DAN. SENNERTVS r), FORESTVS s) atque SCHENCKIVS t) testimoniis idoneis comprobarunt, vel nimio concitatii oestro venereo citius, ac fas et opus est, illud faciant, vt BONETVS u) post HENR. ab HEER et MARCELLVM DONATVM memoriae prodidit: Vtrumque vero vitium haud raro sterilitatis et impotentiae index est atque proditor, adeoque qua de causa veterum decreta hic temere deseramus, non video, modo meminerimus, nullam esse regulam exceptione maiorem, et in hoc malo spectandum videri cum tempus, tum magnitudinem, ne quid imprudenter fiat, aut huic fecunditatis impedimento plus, quam debet, adsignemus.

### §. XIII.

q) Institut. Pathol. §. 562. p. 288. ed. Lips.

r) Praef. Medicin. L. III. P. IX. Sect. II. c. 2. p. 950.

s) Obs. Med. L. XXVI. Obs. 16. Schol. p. 589.

t) Obseruat. Med. L. IV. Coit. Obs. 6. et 7. p. 532. sequ.

u) Sepulchret. L. III. Sect. 31. Obs. 3. Append. I. p. 1314. T. II. cf.

Schenck L. IV. Impot. Vener. Obs. I. p. 533.



## §. XIII.

*Gonorrhœa, sive turpe ac inuitum seminis  
profluvium.*

Accidit et aliud virorum naturalibus vitium, quod vulgo *gonorrhœa* dicitur, apud CELSVUM v) vero nimia profusio seminis, quod sine venere, sine nocturnis imaginibus, sic fertur, ut, interposito spatio, tabe hominem consumat. Nec iniuria. Est enim semen, cuius utilitatem veteres ac recentiores bene cognitam perspectamque habuerunt, si a succo nerueo recesseris, humor longe praestantissimus, adeoque a perpetuo eius profluvio necesse est subnascatur debilitas corporis totius atque impotensia, quae omnia ad viuum descripsit ARETAEVUS w), optimus ille post HIPPOCRATEM morborum obseruator. *Viri nequaquam pruriunt*, inquit; *Nam quod effluit humidum, tenue frigidumque est, sine colore, infecundum.* — *Quod si iuuenes hoc vito laborant, omnies senilem corporis habitum induant necesse est: quippe qui segnes fiant, resoluti, exanimes, torpentes, hebetes, imbecilli, recurvi, ignavi, pallentes, albidi, effeminati, a cibis abborrentes, frigidi, membris graues et stupidi, crudibus impotentes, et ad omnia remissi et languidi.* Siue igitur oriatur haec diuturna et inuita seminis profusio, cum

*Immundo somnia visu*

*Nocturnam vestem maculant ventremque supinum x),*  
ex vasorum robore soluto et debilitate vniuersi corporis,  
vt

v) De Medicin. IV. 21. p. 235. ed. Krauf. cf. Galen. Definit. Medic. n. 288. p. 265. T. II.

w) De Sign. et Causs. Diut. Morb. II. 5. p. 41. et Curat. Diut. Morb. II. 5. p. 93. Coll. Steph.

x) Horat. Serm. I. Sat. V. v. 84. sequ.

ut GALENO <sup>y)</sup> visum est; Siue ex praegressa satyriasi <sup>z)</sup> et neglecta venere, crebriori quidem olim illa, iam vero rara vel nulla, adeoque ex boni seminis copia, ut ALEXANDER TRALLIANVS <sup>a)</sup> docuit; Siue etiam ex eius acrimonia et tenuitate, id quod idem ille rei naturaeque apposite voluit; Siue denique ab erosis destruetisque vesiculis seminalibus, quod haud raro nostra aetate fit ab morbo gallico, semper in perniciem corporis et virilitatis proficit, siquidem haec communis naturae lex habenda est, ut succi, qua porta patet, vberius et fusi sruant, hominesque viribus exhauriantur. Hinc enim, auctore LVCRETIO <sup>b)</sup>, interdiu ac per quietem

*Irritata tument loca semine, fitque voluptas*

*Eiucere id, quo se contendit dira libido;*

*Idque petit corpus mens, unde est saucia amore.*

Hinc, dilabentibus perpetim succis melioribus, fidelissima mali huius turpissimi ac nefandi pedissequa et comes merito habenda tabes est, ut post multos alios MOSCHION <sup>c)</sup> praeclare demonstrauit, idque experientiae accommodate, quae hic profecto, si vlla in re alia, optima magistra est. Accedit, quod in his viris ob succorum cruditatem semen aut nullum <sup>d)</sup> est, quod possint vxoribus bono cum fructu reddere

E

<sup>y)</sup> Definit. Med. I. et p. cit. cf. De Utilit. Part. XIV. 10. p. 646.

T. IV. et Sennert. Pract. Medic. L. III. P. IX. Sect. II. c. 4. p. 595.

<sup>z)</sup> Galen. ap. Aetium, Tetrabl. III. Serm. II. c. 33. p. 574. Vide plura ap. Bonet. Sepulchret. L. III. Sect. 31. Obs. 2. sequ. p. 1314. T. II.

<sup>a)</sup> De Medicin. IX. 9. p. 554. ed. Basil. Similiter ex observationibus Forest. L. XXVI. Obs. 11. sequ. p. 576. et Io. Langius Epist. V. L. II. p. 515. seq. vbi pluribus de variis huius mali formis et medendi ratione disputatur.

<sup>b)</sup> De Rer. Nat. IV. v. 1040. sequ. p. 167. T. II. ed. Haueramp.

<sup>c)</sup> In Gynaec. n. II. p. 37. et Harmon. P. I. c. 3. p. 5. vbi hicce morbus διάρρησις στρεγματος pereleganter dicitur.

<sup>d)</sup> Ap. Schenck. Obs. 5. L. IV. De Coitu, p. 532.



reddere, aut etiam aquosum habent et tenuē, quod haud raro a prostatis dimanat, cum quo ex RVFI EPHESSI<sup>e</sup>), AETII<sup>f</sup>), medicorumque scitis fecunditas nulla esse potest; aut denique huic braccatorum incommodo adiuncta est mutonis languor<sup>g</sup>) quasique resolutio, vt facile cum NASONE<sup>h</sup>) exclamet:

*Num mea Theſſalico languent deuota veneno  
Corpora? Num misero carmen et herba nocent?*

Quibus se ita habentibus, recte, si quid video, senferunt medici veteres, cum diuturnam obſceni humoris profusio- nem inter cauſas impotentiae referendam censuerunt. Etenim perraro pollutiones diuturnae veneris vſu tolli aut mitigari ſaltem fedarieque poſſunt, niſi a ſola ſeminis copia et ſtimulo profectae fint: Qua in ſententia etiam PAVLVS<sup>i</sup>) fuſſe videtur. Vbiuiſ certe in compitibus atque compluuiis offendes id genus homines, forma quidem viros, at re ipſa species et signa, vt facile huic referas MARTIALIS<sup>k</sup>) iocum:

*Iam, niſi per ſomnum, non arrigis, et tibi, Meui,  
Incipit in medios meiere verpa pedes.  
Truditur et digitis pannacea mentula laſſis,  
Nec leuat extincuum ſollicitata caput.*

Quos ne laedas, caue. Etenim cornua, tanquam impoten- tiae ſuuae inſignia, in fronte gerunt.

### §. XIII.

<sup>e</sup>) De Appellat. Part. Corp. II. 14. p. 118. fequ. Coll. Steph. vbi illud ſemen appellatur *infecundum et dilutum, quale eunuchorum* (ſt.

<sup>f</sup>) Tetrabl. IV. Serm. IV. c. 26. p. 792.

<sup>g</sup>) Areteacuſ I. cit. et ap. Schenck. Obs. 2. L. IV. Gonorrh. p. 536. fequ.

<sup>h</sup>) Amor. III. Eleg. 7. v. 27. fequ.

<sup>i</sup>) De Re Medic. I. 35. p. 355. Coll. Steph.

<sup>k</sup>) L. XI. Epigr. 47. v. 1. fequ.

## §. XIV.

*Morbi diurni, maximeque alui profluvia.*

Neque haec vitia silentio praetereunda sunt, quae a  
venere bona medici veteres procul abesse voluerunt. Ecquis  
vero est, qui, an id genus *profluvia pertinacissima* vim se-  
minis infirmare amoremque coitus tollere possint, adhuc du-  
bitet; cum haec omnia bene demonstrarit Illustr. TRILLE-  
RVS <sup>l)</sup>, Senex Venerabilis? Etenim, monente PAVLLO <sup>m)</sup>,  
iis, qui veneri student, vitandi sunt *vomitus*, *purgationes*,  
*et alui profluuium repentinum*, idque puto eam ob caussam,  
quoniam hac via maxima succorum copia eiicitur, viresque  
corporis totius debilitantur incredibiliter; vnde et seminis boni  
materia desit necesse est, et veneris desiderium extinguitur.  
Multo minus proinde venus locum habet in *dysentericis*, etsi  
quidam auctoritate famaque magni HIPPOCRATIS abutantur  
ad futilem hanc er absurdam opinionem defendendam, quam  
pluribus pessum dedit TRILLERVS optimus, quem auctoritatis et  
honoris caussa nominaui. *Dysenterico suadere in remedium*  
*laesciuam scortorum consuetudinem*, seu *usum venereum fre-*  
*quentem*, inquit, *idem profecto est*, ac *podagricum inuitare*  
*ad saltandum*, *arthriticum aut calculosum ad equitandum*,  
*caecum ad pingendum*, et denique *mutum ad canendum*. *Iste*  
*enim miserrimus*, cuius in ore sedet pallor, macies in cor-  
pore toto, cui oculi caui et caligantes, fauces feruida siti  
semper arenæ, capitis dolores paene intolerabiles, difficile  
morosumque omnium ciborum fastidium, noctes longae, moe-  
stiae,

E 2

stiae,

<sup>l)</sup> Diff. De Vitand. Sordid. Remed. Antidysent. §. 9. sequ. p. 49.  
T. III. Opuscul.

<sup>m)</sup> De Re Medic. I. 35. p. 255. Similiter senserat Gordonijs LIL.  
Medic. Part. VII. c. I. p. 595.



stae, anxiae et insomnes, totius corporis vires penitus fere fractae et exhaustae, adeo, ut, obseruante quoque Hippocrate, animi etiam defctiones saepius insequantur, is miserrimus, dum praesertim alui citatae torminibus et simul tenesino, illis longe adhuc crudeliore, continuo ad sordidam sellam urgetur; tum sellas illas lasciuas Tiberianas Jane baud cogitat, nec venustam puellam facile desiderat, sed Libitinam magis, quam Libidinem meditatur, et a funerea potius face torretur, quam a venerea. cet. Hinc si apud HIPPOCRATEM <sup>n</sup>), ARISTOTELEM <sup>o</sup>), AETIVM <sup>p</sup>), PAVLVVM <sup>q</sup>), AMATVM LVSITANVM <sup>r</sup>), THOM. BARTHOLINVM, multosque alios legitur, aluum citam veneris vsu sublatam esse, illud aut de simplici ac leuiori vitio intelligendum est, quod a sola intestinorum laeuitate prouenit, et, vacuefactis iis a pituita et sordibus, cessare potuit sponte sua et sine vlla venere; aut etiam, cum, teste SENNERTO <sup>s</sup>), quidam ex pharmaco ad venerem incitati sint, poterat illico perire stimulus intestinorum, noua coitus voluptate accidente, adeoque per legem reuulsionis, cuius in corpus humanum magna vis est, facile superfluuus humor ad obsecnas partes deferri. Quicquid sit, nullo tamen modo falsi sunt veteres, cum hanc caussam, tanquam subitum infecunditatis documentum, reputarunt. Semen enim, si quod adest, aut non sufficit proli generandae, aut tenue, aquosum et iners esse debet, eamque ob rem nullius profecto vsus.

Quare

<sup>n</sup>) Epid. VI. Sect. V. p. 811. T. I.

<sup>o</sup>) Probl. 51. Sect. I. p. 685. et Probl. 17. Sect. IV. p. 704. T. II.  
ed. Du Vall.

<sup>p</sup>) Tetrabl. I. Serm. III. c. 8. p. 118.

<sup>q</sup>) L. supra cit.

<sup>r</sup>) Curat. 47. Cent. II. et ap. Riuier. Prax. Medic. X. 7. p. 366. Opp.

<sup>s</sup>) Praef. Medicin. L. III. P. IX. Sect. II. c. 3. p. 954. Et iterum  
p. 970. quidam dicuntur in coitu feces emisisse, semen non item.

Quare cum exinde fiant amplexus irriti, nisi turpe illud profluuum sistatur, viresque denuo collapsae redeant, multo magis id de *morbis* quibusque *longis* dici poterit. *Per virum conceptus impeditur*, inquit *MOSCHION* atque *CLEOPATRA* t), cum omne corpus habet intus caussam, praecedente scilicet aliqua valetudine chronica, et inde eius semen tenue est, et aquatum, et aut valde frigidum, aut iusto calidius, aut corruptum. Insunt enim hisce aegris profecto corporis totius debilitas, marcor, fatique haud raro ineluctabilis metus, nec non succerum prauitas vel penuria, eamque ob rem aut nullum persentiscitur veneris desiderium, cum stimulus boni seminis desit, aut magno cum corporis exitio tales viri concubant necesse est. Sed haec de *superabilibus impotentiae caussis*, quas veteres commemorandas duxerunt, iam sufficient. Progrediamur igitur ad eas, quas, cum haud facile tolli queant, *absolute tales et insuperabiles* diximus.

### §. XV.

#### *Castratio.*

Princeps igitur omnium sit *castratio*: Quae siue per exsectionem fiat, siue per collisionem, perinde est, neque vlla soboles a viro exspectari poterit, cui praeter formam nihil virile est. Etenim, vt bene salseque iocatur *LVCIANVS u*), *eunuchus neque vir est, neque mulier, sed quiddam*

E 3 vtrin-

;) In Harmon. Gynaec. P. I. c. 3. p. 5. T. I. Gynaec. ed. *Wolff.*

u) In Ennuch. p. 163. T. IV. ed. Basil. 1619. et paullo post p. 165. ennuchus et spado (*πτύχηλος*) sic distinguuntur a se inuicem, vt prior aliquando virile quiddam expertus sit, posterior vero ab ipso statim ortu fuerit exsectus, planeque animal sit quoddam varium anceps, non aliter, quam cornices, quae neque inter columbas, neque inter coruas numerari queant. Vide, si placet, ibidem ceteros *Luciani* iocos haud infacetos, et cum maxime *Ollicanum*, *Traité des ennuies* chap. I. sequ.



*vtrinque compositum et conflatum, planeque monstrum ab hominum natura specieque alienum.* Sublatius enim iis partibus aut prorsum destructis, quibus semen, succus ille virorum proprius et longe nobilissimus, ad pios usus praeparatur, eoque mirum est, si eam ob rem inde ab HIPPOCRATE v) usque ad recentiora tempora id genus homines male notati fuerint, atque risui omnium iure & meritoque expositi. Quamobrem Scythae impotentes w) facti, mali huius turpitudinem in deam Venerem, cuius templum spoliarant, transferre non veriti sunt. Hinc in castratis, GALENO x) auctore ac teste experientia, vasa seminis collabescunt, arteriae debiles minus fortiter pulsant, ut in senibus infirmis fieri solet, sanguis colore minus florido est, perit corporis totius robur atque constantia, seminis, quod non habent, emissio, virilitas, ipsa denique mascula natura, fiuntque homines illi frigidi ac imbellies. Hinc nec ullum quidem virorum pilum mento aut reliquo corpore y) habent, cum maxime si ante pubertatem violantur; alias enim pecus raripilum referunt; idque, ut COO seni z) videtur, quod via geniturae non facta est. Vnde etiam ratio intelligitur, quare venerem aut non appetunt, ob stimuli defectum, aut irritus certe omnis labor est. Hinc vox muliebris, acuta, tianula a), qua re sibi sola cauere videntur, quo minus ab aulis principum et ex mundo ipso, tanquam ridicula portenta et inutilia terrae pondera expellantur, aut illud saltem audiant, quod mulier apud PLAVTVM b):

Obe

v) L. De Genitur. §. 3. p. 125. T. I.

w) Ap. Herodot. in Clio: HIPPOCRAT. L. De Aere, §. 49. p. 356. sequi. Mercurial. Var. Lett. III. 7.

x) L. De Semin. c. 15. p. 203. sequi. T. III. ed. Chart.

y) Galen. L. cit. p. 204. sequi.

z) L. De Nat. Puer. §. 18. p. 146. T. I.

a) Aristotel. ap. Galen. l. c. p. 205. cf. Sennert. Pract. Medicin. L. III. P. IX. Sectr. II. c. 1. p. 940.

b) Casin. Act. II. Scen. 3. v. 32.

*Obe, iam satis, vxor, est! Comprime te: Nimiam tinnis.  
Hinc coles breuissimus e), flaccus et emortuo paene similis;  
Vnde profecto perexiguam voluptatem aut nullam prorsus  
exspectes. Hinc denique OVIDIUS d) haud inscite:*

*Heu mibi, quod dominum, nec vir, nec femina seruas,  
Mutua nec veneris gaudia nosse potes.*

*Qui primus pueris genitalia membra recidit,*

*Vulnera, quae fecit, debuit ipse pati. —*

*Non tu natus equo, non fortibus virilis armis:*

*Bellica non dextrae conuenit hasta tuae.*

*Ista mares tractent: Tu spes depone viriles:*

*Sint tibi cum domina signa ferenda tua.*

His ita se habentibus, qui eunuchos sine semine vero ac bono liberis operam dare posse existimet, nemo est, adeoque GALENV. e) et MOSCHION f) ἀγένες eos iure meritoque appellarent. Similiter apud iureconsultos g) describuntur sic, ut sint, qui generare non possunt, iterumque in quatuor classes diuidantur: id quod multis bene demonstrauit C. D' OLLICAN h). Prostant certe multae hac de re leges i) IMP. ADRIANI in eos, qui viros mutilarant. Constitutum quidem est, ne spadones fierent, eos autem, qui hoc crimine argueren-

e) Ap. Aetium Tetrabl. IV. Serm. IV. c. 26. p. 792. Coll. Steph.

d) Amor. II. Eleg. III. v. I. sequ. De variis vero eunuchorum generibus vide Schenck. Obs. 2. L. IV. p. 528.

e) Definit. Medic. n. 442. p. 277. T. II.

f) L. et p. supra eit. ubi expresse εξευρχισμένος dicitur sterilis.

g) L. 2. §. I. ff. De Adoptionib. Cf. Io. Ge. Simonis Delineat. Impotent. Coniugal. Ien. recus. 1672. c. 1. Thes. 3. n. 5. sequ. ubi multa de hoc argumento in utramque partem disperantur.

h) Traité des eunuques, chap. II. p. 6. sequ. Hic certe de natura illorum hominum, de variis generibus, de loco, quo ab reliquis ciuibus habendi sint, de matrimonio cert. pluribus agit, idque naturae rei accommodate.

i) Ad. Leg. Cornel. De Sicar. et Venef. Tit. VIII. L. 48. ff.



guerentur, Corneliae legis poena teneri, eorumque bono merito fisco meo vindicari debere, sed et in seruos, qui spadones fecerint, ultimo supplicio animaduertendum esse cet. Et iterum: *Hi quoque, qui Tblibias faciunt, ex constitutione D. Hadriani in eadem causa sunt, qua hi, qui castrant.* — *Qui hominem libidinis vel promerpii causa castrauerit, Senatus consulto k) poena legis Corneliae punitur.* At vero Imp. IVSTINIANVS<sup>l)</sup>: *Tanquam homicida punitur ille, qui castrat aliquem.* Ex his vero intelligitur, infames quasi et capitalis criminis reos fuisse apud veteres cum qui castrabant, tum qui castrabantur, eamque ob rem facile perelegans iocus MARTIALIS m) hoc pertineat:

*Vis, dicam verum, Pannice: Nullus homo es.*

At vero, inquiunt, castrati coire possunt, vereque coēcunt. Scio hoc interdum fieri, et nuper Berolini factum reuera esse cum virgine loco haud ignobili oriunda. Quae cum ab amica fuisset admonita, posse castratos et muliebriter canere, et viriliter inire, sub specie artis iubet eorum aliquem arcessi, cuius in amplexus caros periculique expertes rueret, donec tandem, praeter spem atque opinionem, mater rixosa et indignabunda ludicrae huic scenae finem imponeret. Iam igitur non quaerimus, vtrum enuchorum arrigi possit mentula, nec ne: hoc enim interdum fit, atque isti homines, vt LVCIANI n) verbis vtar, haud raro in adulterio deprehenduntur ἀεθέα ἐν ἀεθόοις ἔχοντες: Illud tamen negari et debet, et potest, liquorem illum, quem inter coēundum profundunt, esse verum bonumque semen, quia dum ablati vel infirmati sunt testiculi, eiusque appendices.

Quare

k) Leg. III. §. 4. Tit. eod. cf. Simon. I. cit. c. III. Thes. I. n. 18. sequ. et c. VI. Thes. I. n. 2. sequ.

l) Cod. Authent. Coll. 9. Tit. 24. Nouell. 142. §. Leo. Constitut. 60.

m) Epigr. 99. L. VII. v. 10.

n) L. supra cit. p. 167. Accidit illud, auctore Paullo, De Re Medic. VI. 68. p. 580. sequ. iis cum maxime, quibus collisi testes sunt.

Quare ex prostatis tantum prouenit, vt litteris prodidit RUFVS EPHESIVS o), infecundum dilutumque semen, quod simul cum priore, (id est, vero semine) excernitur. — Qua propter Eunuchi semen (liquorem prostatae) quidem, sed infecundum, e glandulis fistulosis eiiciunt, e varicosis vero, (vesiculis seminalibus) excisis testibus, semenis profusio seruari non possit. Nec absimiliter HEROPHILVS, qui, teste GALENO p), prostatas nihil omnino ad veram generationem conferre posse docuit. Cur igitur hac venere haud raro gaudent versutulae feminae teneraeque puellae? Non meum est, tanta illarum mysteria temere aperire, nisi id caussae sub sit, quod mutilati tales homunculi coire possint, non generare. Videtur certe, ni fallor, in ea opinione fuisse MATIONALIS q). Sic enim ille:

*Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia, quaeris,  
Pannice? Vult futui Gellia, non parere.*

Contra IVVENALIS r), optimus ille morum romanorum censor, magis aperte ac perfalse:

*Sunt, quas eunuchi imbelles et mollia semper  
Oscula delectent, et desperatio barbae,  
Et quod abortiuo non est opus.*

## §. XVI.

o) De Appellat. Part. Corp. Hum. II. 14. p. 118. Coll. Steph. cf. Galen. L. De Semin. III. 4. p. 230. T. III. ed. Charr.

p) L. De Semin. I. 15. p. 202. et L. II. 6. p. 226. vbi negat, hōsc prostatas glandulofos, ex testium castratione nihil mali perpetuos, ad venerem concitare posse: Iterum p. 248. vero eorum usu demonstrato, ibidem semen confaci non posse contenditur.

q) Epigr. 67. L. VI.

r) Satyr. VI. v. 366. sequ.



## §. XVI.

*Testium morbi.*

Sed iidem testes, qui in eunuchis nulli sunt, incredibilem tamen cum pectore omniisque corpore communionem<sup>s)</sup> habent, pernecessarii sunt ad sobolem progenrandam, ut bene naturaeque apposite demonstrauit olim *EMPEDOCLES*<sup>t)</sup>. Sed possunt illi etiam vario modo infestari, et hinc sterilitatis auctores fieri. Primum igitur testiculorum vitium est, quod *ab inflammatione vehementi* oritur: quae quam facile glandulosas partes aut destruant, aut in tumorem durum verumque scirrum transformet, quis est, qui nesciat? Et quid inde commodi sperari poterit? Nihil omnino, eamque ob rem sine dubio *ARISTOTELES*<sup>u)</sup> hosce homines impotentes iudicauit. Sin vero *ex ictu tument* testiculi, id quod haud raro fit, exindeque *pus increvit*, ut scite *CELVSV*<sup>v)</sup>, neque aliter *succurri* potest, quam si, *inciso* feroto, et *pus emisum*, et *ipse testiculus excisus* est; tum profecto deplorata est virilitas, cum maxime si vterque cultro tollitur, id quod *GALENVS*<sup>w)</sup> expresse contendera. Etenim si a profluvio semenis temere suppresso et a copia sola tumor testium magnus atque dolor vehementissimus natus est, ut *FORESTVS*<sup>x)</sup>, *SCHENCKIVS*<sup>y)</sup>, *BONETVS*<sup>z)</sup>, innumerieque alii litteris consignatum reliquerunt, multo maiora mala aegro necesse est immineant, cum prorsus induruerunt, aut etiam

<sup>s)</sup> *HIPP.* Epid. II. Sect. I. p. 687. T. I.

<sup>t)</sup> *Ap. Aristotel.* Generat. Animal. I. 18.

<sup>u)</sup> *Ap. Galen.* L. De Semin. c. 15. p. 202. T. III.

<sup>v)</sup> L. De Medicin. VI. 18. n. 6. p. 399. ed. Kraus.

<sup>w)</sup> L. et p. cit.

<sup>x)</sup> *Obs.* I. L. XXVII. p. 592.

<sup>y)</sup> *Obs.* 3. L. IV. p. 529.

<sup>z)</sup> *Sepulchret.* L. III. Sect. 30. *Obs.* 4. p. 1311. T. II.

etiam foede contabuerunt, quales in monachi cuiusdam corpore lustrando detexit VIDVS VIDIVS <sup>a)</sup>). Accedit, quod, auctore IAC. SYLVIO <sup>b)</sup>, infecundi sunt testes phlegmone aut tumore alio praeter naturam magno et diuturno obfessi, obdurati, insigniter ulcerati, vulnerati, conuulsi, intra ventrem adhuc conditi, praecipue ambo (quod multis adeſt, ac fere primis coitibus descendunt), resoluti, et omnium maxime, ob hernias vel cauſas alias exſecti ambo: nam, altero manente, fecunditas perseverat. Excisio etiam calculi imperata, vasis sperma deferentibus violatis aut etiam spermaticis, infecundos saepe fecit cet. Aliqui horum affectionum infensi semper sunt virilitati, alii vero ad tempus; Quibus sublati, cessat illico impotentia. Vtrum vero GALENI <sup>c)</sup> scitum verum sit, nec ne, mares eo falaciōres habiliōresque ad coēendum esse, quo maiores pluresue testiculos habeant, id iam non attinet multis anquirere. Constat enim inter omnes, virilitatem non a numero, sed virtute atque effectu repeti oportere, siquidem et triorchides quosdam steriles fuſſe ſcimus, et alios, quos aut natura, aut caſus coegerat in vno acquiescere, prole beatissimos. Sic ex ROLFING-KIO retulit 10. GE. SIMON <sup>cc)</sup> hominem quendam circumforaneum, qui partim ob testiculos intus latentes, partim ob strenuam militiam puellis cum maxime in honore et amore fuit. Sed ſpes feſellit. Breui enim ſeſe grauiditas eſſe intellexerunt.

## F 2

## §. XVII.

<sup>a)</sup> Ap. Schenck. L. IV. Obsr. 2. p. 529. et Obsr. 6. Coit. p. 532. Sennert. I. cit. c. 3. p. 907.

<sup>b)</sup> De Hom. Generat. p. 335. T. I. Gynaec. Wolph.

<sup>c)</sup> Vtil. Part. XIV. 6. p. 639. T. IV. Occurrunt paſſim tales homines. Vide, ſi placet, apud Sennert. Praſt. Medicin. L. III. P. IX. Sect. I. c. 2. p. 904.

<sup>cc)</sup> Delineat. Impotent. Coniugal. c. III. Thes. 2. n. 3. ſequ.



## §. XVII.

*Herniae magnae et inueteratae.*

Fit haud raro, vt *herniae* nascantur, atque pondere in scrotum deuoluatur aut omentum, aut intestinum, et varia praeterea mala ibidem orientur: Quorum signa meden-dique viam commemorare iam non lubet. Sed id vnum quaerimus, vtrum huic morbi generi sterilitas adiuncta esse debeat, nec ne. A minori hernia, vel quae in altera scroti parte latitat, testiculis non temeratis aut laesis, nihil ex-pecces periculi, quia praeter quendam molestiae sensum bona sunt omnia. Quamobrem male magnus BOERHAA-vivs steriles herniosos appellavit nulla adiecta lege ac conditione, atque praecclare Illustr. HALLERV d). Minime perpetuum est, inquit, et plurimos noui herniosos, qui egre-gie secundi sunt. Id tamen habent incommodi, vt semina-lia vasa ab intestinis elapsis comprimantur, et veneri non absque periculo litent. Sin vero moles eius adeo increuit, vt vix ac ne vix quidem fascia retineri amplius queat, aut testes alienae partis pondere compressi quasi emarcescunt sic, vt semini secernendo et ulterius proferendo impares aegri-fiant, colligitur, nullam esse spem sobolis. Etenim, ne-cesse est, collabescant sensim pedetentimque vasa defer-en-tia, et semen, si quod adest, osculis venarum patulis illico sorberi sanguinique reddi debet. Porro abhorrent feminae talem coitum, quem sibi dolorem summum, obscenarum partium inflammationem atque tumorem, non voluptatem, generare perhibent, et viri tam monstroso portentoque scroto praediti videant, ne, dum veneris gaudia percipiunt, diem sibi accelerent. Etenim adest, vt cum *Iuuenale* e) meo loquar, vel

*Coitus*

d) Praelect. Academ. §. 641. p. 288. P. I. Vol. V.

e) Satyr. X. v. 204. sequ.

❀ ❀ ❀

*Coitus iam longa obliuio; vel si  
Coneris, iacet exiguus cum ramice nervus,  
Et, quamvis tota palpetur nocte, iacebit;  
vel si quis temerario ausu ad pugnas processit, eumque  
Impulit imbellem formosae cura f) puellae,  
Inssit et in castris aera merere suis;*

tunc certe non poterit non persentiscere, hoc herniae genus  
ob compressos testiculos et ductum deferentem oblitteratum  
esse in caussis impotentiae ineluctabilis referendum, ut SCHEN-  
CKIVS g) et BONETVSH) exemplis iuerunt comprobatum. Inter-  
dum herniae cultro excidenda sunt et testiculi destruendi.  
Quod dum sit, omnis illico perit vis procreandae sobolis, vt  
post CELSVM i), SCHENCKIVM k), PAREVM l) VOGELIVM m)  
tantum non omnes, qui de chirurgia scripsérunt, docte na-  
turaeque apposite docuerunt. Tunc illi eunuchi sunt et  
semiuiiri, non viri. Nam *omnium optime*, vt vere ARNOL-  
DVS VILLANOVA NUS n) monet, remouetur *in perpetuum*  
*appetitus coeundi per abscissionem testiculorum.*

### §. XVIII.

#### *Varia glandis vitia.*

Occupant etiam glandem varia mala, quae profecto,  
si qua alia, impedimento sunt, quo minus et coitus rite  
fiat, et fecunditas locum habeat. Primi igitur omnium ii  
F 3 sunt

f) Ouid. Amor. I. Eleg. 9. v. 43. sequ.

g) Obs. 1. sequ. L. IV. Impotent. p. 533. et Obs. 10. Hern. p. 541.

b) Sepulchret. L. III. Sect. 29. Obs. 13. p. 1301. et Obs. 16. p. 1303.

T. II.

i) L. De Medicin. VII. 19. p. 460. sequ.

k) Obs. 14. L. IV. Hern. p. 541.

l) Ap. Bonetum Sepulchret. L. et Sect. cit. Obs. 10. p. 1299.

m) Von Brüchen, c. I. p. 50. sequ.

n) De Morb. Curand. II. 26. p. 209. b. Opp. Argent. 1541.



sunt, quos *hypospadieos* seu *semispadones* veteres nominarunt. Sunt vero illi, vt PAVLLVS <sup>o)</sup>, memorat, *imperforata glande sive sine foramine naturae, qua humor emittitur*: id quod aut a partu est, qualem olim Romae C. CLAVDIO et M. PERPENNA Consulibus, natum esse perhibet IVLIVS OB-SEQVENS <sup>p)</sup>, aut malo vlcere, maximeque venereo, apud nos oritur. Fac igitur, adesse viro veram seminis copiam, nullo tamen modo fieri poterit, vt hac ratione illud in uterum iaculari, et, vt decet, perferrri queat, siquidem, si qua alia via praeter glandem est, dilabi proterue debet. Quamobrem non mirum est, GALENUM <sup>q)</sup>, AETIVM <sup>r)</sup>, atque MOSCHIONEM <sup>s)</sup> tales viros reputasse steriles. Haec enim per se patent, pluribusque recentiorum medicorum exemplis apud HIER. MERCVRIALEM <sup>t)</sup>, DAN. SENNERTVM <sup>u)</sup>, SCHENCKIVM <sup>v)</sup>, BENIVENIVM <sup>w)</sup>, WIERVM <sup>x)</sup> confirmantur, eamque ob caussam dubium esse potest nemini, praesertim quia etiam sunt pene breuissimo <sup>y)</sup>. Nam qui geniturae meatus occaecatos habent, inquit AETIVS, *velut quidam, quibus calculi exsecti sunt, eos pro deploratis babebimus*. Sed neque semispadones ac nimis angustis meatus praediti, semen excernunt. Huc etiam sine dubio illi pertinent, quos MOSCHION, aut si maius, CLEOPATRA <sup>z)</sup> obstetrix

<sup>o)</sup> De Re Medic. VI. 54. p. 573. Coll. Steph. Vide etiam h. l. ap. Henr. Stephanum Diction. Medic. voc. ὑποσπάδης. p. 496.

<sup>p)</sup> De Prodig. n. 113. p. 153. ed. Oudendorp.

<sup>q)</sup> Definit. Medic. n. 422. p. 277. T. II. ed. Charr.

<sup>r)</sup> Tetrabl. IV. Serm. IV. c. 26. p. 792.

<sup>s)</sup> In Gynaec. Harin. P. I. c. 3. p. 5. T. I.

<sup>t)</sup> De Puer. Morb. I. 9. p. 168. sequ.

<sup>u)</sup> Praef. Medicin. L. III. P. IX. Sect. I. c. 10. p. 927.

<sup>v)</sup> Obs. 3. L. V. Penis. p. 523.

<sup>w)</sup> De Abdit. Morb. Cauffl. c. 7. p. 211. ed. Basil. ap. Cratand. 1529.

<sup>x)</sup> Obseruat. Rarar. L. p. 105. ed. Basil.

<sup>y)</sup> Ap. Aerium I. et p. cit.

<sup>z)</sup> In Gynaec. I. et p. cit.

obstetrix appellat, *parathocos*, hoc est, *in latere membranam habentes, qua semen emittant.* Nisi enim illa scalpello vel rodentibus auferri poterit, naturali via iterum aperta, omnis virilitatis vis et effectus pereat necesse est. Hinc quid de LEPECHINI a) V. Cl. duobus viris sentiendum sit, quorum vrethra sub glande aperta, et inter coeundum in longitudinem ac latitudinem distensa fuerit magno cum sobolis prouentu, euidem ex iis, quae legi, non video. Etenim coitum fieri liberosque procreari potuisse, facile largiar; An vero illi portentosi homines auctores fuerint, id est, de quo vehementer dubito, idque HENR. ab HEER b) obseruatione ductus, vbi aliquis simili vitio laborauit mictio-  
nis incommodum semper perpessus.

At vero alia res est, si praeputium reduci aut rursus induci non potest; Φίμωσιν et παραΦίμωσιν Graeci dicunt. Etenim, inflammatione colis discussa, cutis mollita et extenuata ducenti chirurgo tantum non semper paret, vt bene CELSVS c) monuit, aut certe scalpello circumcidenda est, et tunc, si reliqua ex arte facta sint, nulla impotentia per timescenda est, excepta dira illa necessitate, qua propter vlcuscula foeda et manantia glans simul auferenda est. Tunc enim isti viri semifispadones per artem aut rectius per propria flagitia fiunt, eoque pertinent, quae FORESTVS d), DAN. SENNERTVS e), SCHENCKIVS f) cet. consignata reliquerunt. Ex his etiam patet, quid de illo CELSI g) praece-  
pto sentiendum sit. *Interdum per ipsa vlera,* inquit, *coles sub*

a) In Nou. Comment. Acad. Petropol. T. XVI. vt in Götting. AN-  
zeig. Zugabe St. X. p. 74. nuper legimus.

b) Obseruat. Rar. XVIII.

c) De Medicin. VI. 18. n. 2. p. 393. et L. VII. 25. n. 2. p. 472.

d) Obs. cit. p. 561.

e) Præd. Medicin. L. III. P. IX. Sect. I. c. 12. p. 932.

f) Obs. IX. L. IV. p. 525.

g) L. et n. cit. p. 396.



*sub cute exesus est sic, ut glans excidat. Sub quo casu cutis ipsa circumcidenda est, perpetuumque est, quoties glans, aut ex cole aliquid, vel excidit, vel absinditur, illam non esse seruandam, ne confidat, ulcerique agglutinetur, ac neque reduci possit postea, et fortasse fistulam quoque vrinda cludat. Nam si glans excidat, sive ab vlcere, quod Φαγέδων nominatur, sive a cancro fiat, semper periculum sterilitatis imminet. Nam si, poeta b) teste,*

*Militat omnis amans,*

*desinant isti homunculi veneris gaudia quaerere. Sunt enim sine armis, sine neruis, sine viribus. Perit cum glande simul omnis veneris sensus et inuitatio ad coitum: id quod hodie nonnulli diro morbo gallico in acceptis ferunt: et si qua forte superstes colis particula arrigatur, aut semen a testiculis proueniat, profecto illud vterum attingere non potest, ouulumque muliebre secundare.*

### §. XIX.

#### *Varia penis vitia.*

*Neque penis immunis est a tali vitio. Sunt enim homines, qui sine eo nascuntur, aut quibus excisus est, qualia passim exempla occurront, et apud SCHENCKIVM i) commemorantur. In his usus et effectus veneris nullus est. Porro commemoratur apud CELSVM k) colis exulceratus, cum dolore, vlcere, pituita multa, sanie tenui malique odo-  
ris cet. Qui morbus cum haud raro temporarius est atque subitus*

*b) Ouid. Amor. I. Eleg. 9. v. 1.*

*i) Talem ex Cneulino refert Schenck. Obs. 2. L. IV. p. 532. et Obs. 13. p. 526. ubi plura. Cf. Beniuuen. De Abdit. Morb. Cauff. c. 68. p. 271.*

*k) De Medicin. VI. 18. n. 2. p. 395. ed. Kraus.*

subitus, impotentia certe illa quoque temporaria putanda est. Immo vero quidam dicuntur venerea labe contaminati foedisque mentulae ulceribus obstiti liberos procreasse; Sed fides penes auctores esto. Ad tutiora progredi lubet. Ut enim in feminis, si concipere velint, vterus rectus, id est, non contractus atque coli appositus esse debet, auctoribus ARISTOTELE<sup>l)</sup> atque MOSCHIONE<sup>m)</sup>, intelligitur, naturalia viri similiter se habere oportere. Penis vero in coitu esse debet extensus, rectissimus, latissimus, stabilis, ut satis vere GALENV<sup>n)</sup> docuit. Quod si non sit, vir accusandus est impotentiae, partim quia sine erekctione omnis voluptatis sensus perit, partim quia, mentula flaccida<sup>o)</sup>, iactus feminis aut nullus est, aut illud statim, ac profluxit, iterum vulva dilabitur. Sed hinc illae lacrumae, quod hodie, ut cum comico loquar, mulieres semper porrigan, viri non arrigant. Etenim, ut bene NASOP),

*A tenera quisquam sic surgit mane puer,*  
*Protinus ut sanctos possit adire Deos.*

Pudet me profecto atque piget publice profiteri quorundam infirmitatem, quos ad arrigidum nulla medicamentorum aniliter commendatorum vis excitare potest, nullae vxoris blanditiae stimulare, idque vel quia iuuenili vagoque amore nimis lassi, fracti atque debilitati sunt, vel quoniam olim molliter admota manu semen iusto crebrius et magno cum sanitatis detrimento elicuerunt; quod flagitium ad viuum

G nostra

<sup>l)</sup> Hist. Animal. X. 2. p. 459. et 460. T. II. ed. Du Vall.

<sup>m)</sup> In Gynaec. Fragment. p. 4. T. I. ed. Wolph. cf. Lucret. IV. v.  
257. sequi. vbi meretricium artificia bene sciteque deteguntur.

<sup>n)</sup> Vtilit. Part. XV. 3. p. 658. T. IV. ed. Chart. Huc etiam pertinet, qui sine erekctione semen profundunt; qualem historiam ex Marthaco de Gradibus refert Dan. Sennert. Pract. Medicin. L. III. P. IX. Sect. II. c. 6. p. 970.

<sup>o)</sup> Ap. Schenck. L. IV. Gonorrh. Obs. 2. p. 536. Sic etiam Arnoldus Villanova De Morb. Curand. II. 25. p. 204. b. Opp.

<sup>p)</sup> Amor. III. Eleg. VII. v. 53. sequi.



nostra aetate *TISSOTVS* <sup>q)</sup> demonstrauit. In his enim saepe numero, debilitate corporis vniuersi vt cumque sublata, relinquitur pertinacissima mutonis arrigendi impotentia, est que haud raro, vt ibidem aeger ipse profiteretur, *silo xylinio flaccidius veretrum omnisque erectionis impotens; semen quidem manu sollicitatum effluere finit, nequaquam vero einculat; adeo ceterum imminutum et retractum, ut oculi de sexu vix indicare possint.* Ferendum igitur erit aequissimo animo, praeeunte verbis *HEBEN STREITIO* <sup>r)</sup>, si quem effetum languidiusculumque virum.

*Emendicata facit uxor prole parentem,* cornigerique illi homines aliorum ministerio accipiant, quod ipsi nec habent, nec dare possunt. Quare etiam non opus est more veterum <sup>s)</sup> medicamenta quaedam, aut *incantamenta* praestigiasque daemonum accusare: quas qui hodie credat, dubiae sanitatis esse debet. Vidimus etiam similiter, vt olim *GALENVS*, aliquos, quorum *penis* ex assidua venere *rugosus* et *collapsus* fuit, reliqua vero exilia et emarcida, qualia in senibus esse solent. Cauete illos, pueri; Nigri sunt.

#### §. XX.

#### *Nimia penis erectio.*

Contrarius penis languori marcorique morbus est, si *nimum ille*, atque *cum dolore actensione*, et *semper arrigitur*. Eminent his in vitiis *satyriasis* et *priapismus*, quorum alterum, auctore *ARETAEO* <sup>t)</sup>, est inexplibilis coeundi appetitus, verum neque si ad *veneris* opus accedunt, quicquam iutantur, neque multo assidoque concubitu sedatur *arrectio*; alterum

<sup>q)</sup> *Von der Onanie Tb. I. Abschn. I. p. 8. sequ. et in primis p. 41. ed. germ.*

<sup>r)</sup> *Patholog. Metric. §. 4. v. 32.*

<sup>s)</sup> *Ap. Galen. Medicam. Parabil. p. 636. T. X.*

<sup>t)</sup> *De Cauff. et Sign. Acut. Morb. II. 12. cf. Oribas. Synopf. IX. 39 et 41. p. 147.*

terum vero est, ut PAVLLVS <sup>u)</sup> refert, *auctio pudendi perseverans, in longum ac circulum intumescens citra rei venereae appetentiam.* Vtrumque dirissimum colis virium, maximeque prius, a qua demum cunque causa oriatur, siue a seminis multitudine, siue a diurna coitus abstinentia, siue a phantasia laesa sit, semper est secundum ARETAEVM <sup>v)</sup> acutissimum, triste, foedumque malum. At priapismus cum primis turpis et exitiosus est, tentigine ne post mortem quidem cessante. Huc etiam sine dubio pertinet *penis rigidus ob venris desuetudinem,* variaque priapismi exempla, quae sedulo collegerunt SCHENCKIVS <sup>w)</sup> atque FORESTVS <sup>x)</sup>. Immo vero sunt, qui dum in venoris castris strenue militant, ne quis falcum in alienam messem iniiciat, subito diem suum obirent cum *perpetua colis erectione,* vt SALMUTHVS <sup>y)</sup> memoriae prodidit. In tanta autem penis rigiditate, ut viri satyros priaposus referant, cum seminis iactus nullus est, tum ob figuram laesam minus bene ad vterum usque pertingere illud potest, adeoque si malum pertinax est aut inueterauit, ut passim in iis constat, qui dum iuuenes essent, praeclare veneri litarunt, omnis medelae expers est, neque villa speranda soboles. Malum enim hoc partium obscenarum, et turpe est, et omnium maxime incommodum, meminiique iam viri cuiusdam nobilis, qui sexagenario maior identidem lacrumabundus de tentigine conquerebatur intolerabili: hinc cum dolore summo corpus et vestimenta circuminxit, et, pene cornu instar tenso, inire nec poterat, nec semen verum habebat.

## G 2

## §. XXI.

<sup>u)</sup> De Re Medic. III. 56 et 57. p. 477. sequ. Coll. Steph.

<sup>v)</sup> L. cit.

<sup>w)</sup> Obs. I. sequ. Priapism. L. IV. p. 538.

<sup>x)</sup> Obs. 10. L. XXVI. p. 575.

<sup>y)</sup> Obs. Medic. 19. L. III. p. 124.



## §. XXI.

*Penis iusto breuior aut longior.*

Varie quoque temerari colis potest, si aut iusto breuior est, quam ut semen ad vterum tuto deferri possit, aut iusto longior, adeoque cum dolore coitus est atque irritus. Meminerunt haec passim veteres, cum maxime ARISTOTELES <sup>z)</sup>, AETIVS <sup>a)</sup>, GORDONIVS <sup>b)</sup>, quibuscum consensit DAN. SEN-NERTVS <sup>c)</sup>. Si penis nimis sit breuis, inquit, semen etiam non eo usque, quo debet, eiicitur, in vterum scilicet, qui est feminis receptaculum, sed in collum vteri saltam, ubi corruptitur, et effluit, atque ita conceptio impeditur. Si sit nimis crassus, a femina non admitti, vel non sine dolore admitti potest. Tale si quid accidat, coitus impeditur. Habent autem ista vitia a prima conformatione suam originem. Sed haec non satis certa sunt. Iam enim non quaerimus, vtrum prius natura sit, vel aetate, vel nimia corporis obesitate, vel frigore, vlcere, putredine destructo pene, an vero posterrius virilitatem prorsus tollat; Id vero certi scimus, hoc in vitio diiudicando corporum et naturalium vxoris rationem simul habendam esse, quoniam vaginae breui priapus iusto longior accommodatus non est. Mutato vero matrimonio, reliqua haud raro bene cesserunt, vt inter omnes constat. At vero longitudine ac proportione naturali laesa, nec ullo modo persananda, qualia monstrosi penis vel aucti, vel immuniti <sup>d)</sup> exempla multi retulerunt, iure meritoque latet hic

<sup>z)</sup> Generat. Animal. I. 6.

<sup>a)</sup> Tetrabibl. IV. Serm. IV. c. 26. p. 792. Coll. Steph.

<sup>b)</sup> Lil. Medic. Part. VII. c. 1. p. 596.

<sup>c)</sup> Pract. Medic. L. III. P. IX. Sect. II. c. 2. p. 950.

<sup>d)</sup> Sic Henr. ab Heer Obs. VII. aurigae senis meminit, i qui tantam penis in imum ventrem retractionem passus est, ut nec bilum, quod ullo sensu percipi posset, extaret. Sic ego quandam in theatro vidi militis emeriti cadauer, cuius colis vel post mortem tensus et rigidus

hic aliqua sterilitatis causa, quae omnem medicorum artem eludit, et amplexus aut nulos efficit, aut certe irritos.

§. XXIII.  
*Penis distortus.*

Interdum et longitudo, et figura colis mutatur, atque distorquetur sic, ut generanda soboli homo impar fiat. Hinc ab HOLLERIO e) dicitur *obtortus et inflexus*. Vitium illud primum, inquit, corrigi non potest, alterum potest. Videlimus, qui membro ita obtorto non poterat gignere, quod semen semper restitaret in ceruice vteri. Similiter iVL CAESAR ARANTIVS f): Veneri nimium addicis, rarum affectionis genus, antiquis ignotum, quod speciei propagandae aduersatur. Etenim genitale distentum ac spiritu turgens tristi cum doloris sensu distorquetur, quo sit, ut semen in vterum recta eiaculari nequeat. De hoc morbi generc neminem reperio, qui ita pertraxeruit, ut veram affectus caussam nouisse videatur: Appellant tamen nodum penis. Nam etsi demissio et flaccido genitali nihil percipiatur incommodi, particulam tamen pertractanti parvulus quidam tumor fabae vel glandulae speciem referens percipitur. Huic affectui plerosque vidi, caussae ignaros, emollientia adhibuisse, quod arbitrarentur, se durinsculam illam substantiam quasi humore affluxo imbutam discutere posse. Sed tantum absuit, ut id praestarent, quod eriam quotidie in deterius lapsi fuerint: Nam, arietini cornu in modum,

G 3

in

gidus fuit, atque semiulnam et aliquot pollices longitudine aequauit, testiculis saluis et sua gallinarum referentibus.

e) Comment. in HIPP. Aph. 63. Sect. V. p. 574.

f) De Tumorib. praeter natur. c. 58. cf. Sennert. Pract. Medic. L. III. p. IX. Sect. I. c. 8. p. 923. sequi.



in illud latus, quo tuberculum est, mentula reflectitur. — Qui veneri nimis indulgent, frequenterque et diu, ut mulierculis placeant, distento sunt genitali, in hoc malum incidunt. — Qui morbus an veteribus fuerit incognitus, vt ARANTIO videtur, vehementer dubito multis de caussis, partim quia DIOCLES g) eam colis distortionem, vt quis in uterum semen recta proiicere nequeat, expresse in sterilitatis masculinae caussis posuit, partim quoniam CAELIUS AVRELIANVS h) similem fere ex DEMETRIO ATTALEO historiam refert, et HERACLITVS imperator i) hoc malo periisse dicitur; denique quia vero simillimum est, hunc morbum communi priapismi nomine veterum ac recentiorum plurimos complexos fuisse. An parathocus, quem MOSCHION k) memorat, huic Arantii morbo respondet? Ita videtur, quoniam illum per membranam in latere habentem, explicandum censuit, indeque penis facile distorqueari potest. Qua de re etiam ARNOLDVS VILLANOVANVS l): *Quando vir habet virgam tortuosam seu curvatam, non generat, quia non potest sperma suum recte in matricem proiicere, et sic non generat.* Sed quicquid libuerit, in tanta penis distortione, quam semel vidimus ex morbo gallico inueteratam ac pertinacissimam, nullus fieri potest coitus, adeoque generandi vis ipsa debet praepediri, et si aliter sensisse videtur HENR. ab HEERM). Illud vero malum hodie ex Iue venerea frequens est, vt inter omnes constat, et ASTRVCIVS n) bene monuit; Sed haec multis persequi, a pro-

g) Ap. Galen. Hist. Philos. c. 32. p. 53. T. II.

b) Acut. Morb. III. 8. p. 249. ed. Amman.

i) Ap. Marcell. Donat. Hist. Medic. Mirabil. L. VI. 4. Vide plura mali huius exempla ap. Illuſtr. Haller. Praelect. Acad. Boerb. §. 654. p. 399. P. I. Vol. V.

k) In Gynaec. Harmon. P. I. c. 3. p. 5. T. I. ed. Wolph.

l) De Morb. Curand. III. 1. p. 298. a. sequ. ed. Argent.

m) Obseruat. Rarar. XVIII.

n) De Morb. Vener. L. IV. c. II. §. 2. p. 441. ed. Paris.

proposito nostro nimis alienum est, et olim ingenue  
fassis est ROLFINCRIVS o): Saep*e* vidi curuum penem, sa-  
nau*i* raro. Neque absimiliter magnus BOERHAAVIUS p).  
Ab reliquis penis monstrosi vitii*s*, qualia passim apud aucto-  
res, maxim*e*que HOECHSTETTERVM q), prostant, cum apud  
veteres nihil me reperire memini, studio deditaque opera  
temperandum existimau*i*.

## §. XXIII.

*Resolutio partium obscenarum.*

Restat naturalium resolutio, quae aut aliquam partem  
infestat, aut omnes omnino, exindeque facile colligitur,  
non temere veteres medicos, ac praeceteris DIOCLEM r),  
AETIVM s), PAVLLVM t), MOSCHIONEM AC CLEOPATRAM u),  
GORDONIVM v), cet. eam, tanquam principem ac vix supe-  
rabilem impotentiae caussam, reputasse: Etenim so-  
LENANDER apud SCHENCKIVM w) id mali sinistro cremaste-  
ris musculo accidisse auctor est. A huc venerea saepe nu-  
mero ortam vidit ASTRVCIVS x), constat inter omnes,  
mala, quae a resolutis neruis dimanant, omnem artis vim  
haud raro eludere, et opus magni laboris, taedii summi, tem-  
porisque multi esse. Iam vero quid auxili ab arte poterit  
expectari, si qui aut natura impotens sic est, ut, praeeun-  
te verbis OVIDIO y), tanquam

*Truncus iners iaceat, species et inutile signum,*

aut

- o) In Diss. p. 182.
- p) In Praelect. Acad. I. et p. cit.
- q) Ap. Sennert. l. c. p. 972.
- r) Ap. Galen. Hist. Philos. c. 32. p. 53. T. II.
- s) Tetrabl. III. Serm. III. c. 35. p. 577.
- t) De Re Medic. III. 58. p. 478. Coll. Steph.
- u) In Gynaec. Harmon. P. I. c. 3. p. 5.
- v) Lil. Medic. Part. VII. c. 1. p. 596.
- w) Obs. IV. l. IV. Affect. p. 529.
- x) L. cit. §. 9. p. 449.
- y) Amor. III. Eleg. VII. v. 15.



aut nimis veneris gaudiis, incredibile, quantum infirmatus et de robore vitali omni deiectus quasi videatur? Hic certe, si quid video, hastam animumque abiicere licet, neque memini, quemquam eorum, qui hac infirmitate colis nimia laborauit, et cum illa quasi consenuit, vegetam eius constantiam et usum recuperasse. Aut enim omnia artis praesidia fuerunt irrita, aut res aegri breui iterum in peius ruere visa est. Quamobrem praefat, imminentem ruinam auertere, quam si penitus abolitae vires naturales sunt, vigorum mentulae pristinum velle reuocare.

#### §. XXIV.

#### *Conclusio.*

Sed fas est, ut ad metam properemus, praemissis iis impotentiae caussis, quas medici veteres commemorarunt. Quae an vere naturaeque apposite a nobis dictae sint, alii iudicent. Etenim nobis id unum in votis fuit, ut magni veterum admiratores ac contemtores, exemplis hisce ante oculos ponendis, intelligent, quae qualiaque priscorum hominum in medicinam sint promerita. Quod si bene membrinint, non poterunt illis honores laudesque debitas diutius denegare. Illi vero, qui adhuc strenue ac, eheu! nimis in veneris cupidinisque castris militarunt, videant, ne olim, cum legitimo amplexu opus futurum sit, viribus corporis turpiter exhaustis, penisque neruis marcidis, uxores frustrati esse videantur, atque cum maxime digni, qui et insignia impotentiae suae turpissimae in fronde gerant, et identidem vicariorum ministerio aut quasi per quietem atque caelitus liberos ex uxoribus sustulisse reputentur.



VIRO CLARISSIMO  
MICHAEL SONNTAG  
CANDIDATO MEDICINAE DIGNISSIMO

S. P.

P R A E S E S.

Fuit semper, ex quo in academiis commoratus es, TVVS in litterarum bonarum et medicinae studia amor tantus, quantum est maximus, ea morum modestia, integritas atque suauitas, vt optimus quisque non speraret solum, verum etiam consideret, fore, vt tandem talis existas, qualem TE nunc cognitum omnes iudicant. TV enim humanitatis litteris, sine quibus magnus verusque medicus nullo modo esse potest, et philosophiae cognitione probe eruditus, accessisti ad inclusas Germaniae academias, Lipsiensem, Halensem, atque nostram, et adsidua optimarum praeceptionum auditione, diligentia incredibili et lectione praefantissimorum librorum continua id efficiendum putasti, vt et saluti TVAE prospiceres, et TVORVM votis satis faceres. Hinc nuper in obeundis examinibus suetis Ordini Nostro TE praebeuisti dignissimum iis honoribus, quibus non, nisi strenui medicinae cultores ex instituto maiorum condecorandi forent. Hos igitur TIBI primus equidem omnium ex animo gratulor, eosque eo magis, quod, cum specimen eruditionis TVAE in vulgus dandum esset, me testem, comitem, adiutorem, praesidem, esse volueras. Id quod vt singulare amoris fauorisque TVI documentum repuro, ita etiam more meo i. e. aperte candideque opto, vt TIBI in patriam reuerso optima, fausta, salutaria, quaevis eueniant, neque vñquam TE hisce fortunae meritorumque spoliis onustum, nostri rerumque nostrarum meminisse pigate. Abi igitur, mi SONNTAG, bono cum deo faustisque auspiciis; Vale, nisi pugilice atque athletice, tamen medice, bene, feliciter, nobisque absentibus absens fauere perge. Scripsi e museo d. vi. Idus

Iunios, CI CLOCCCLXXIII.



VIRO  
PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO  
SVPREMIS IN MEDICINA HONORIBVS  
CANDIDATO DIGNISSIMO  
S. P. D.  
STEPH. LVMNITZER, HVNGARVS. M. S.


**E**x eo inde tempore, Amicorum Optime, ex quo ad Illustres Germaniae Musarum sedes appuli, tam felix ac fortunatus exsteti, vt mihi familiaritate ac consuetudine TVA vti licuerit. Quare non existimo, necessem fore, vt multis verbis mihi amicitiam TVAM denuo expetam; cum aliunde nouerim, TE semper constantem fuisse eorum amicum, cum quibus semel familiaritatem colere incepisti. Magis puto officii mei ac amicitiae deposcere rationes, vt TIBI, Optime SONNTAG! eximios in Medicina honores, quibus iam ornaris, ex animo gratuler. Quod etiam hoc qualicunque epistola, eruditissimae TVAE Dissertationi adiuncta, facio, meumque non mediocre gaudium, quod ex hac, quae TIBI Ienae contigit, felicitate percipio, testor ac declaro. Gratulor autem non modo TIBI, de obtenta hac Doctorali Dignitate, sed etiam Perillustri ac Generoso Domino Parenti TWO, suam de TE bene conceptam spem iam impleri. Gratulor denique toti Nobilissimae SONNTANGIANAE Familiae, ac singulis TVIS Amicis; et quod maximum, patriae meae dulcissimae vt plurimum gratulor, quod nunc receptura sit suum ciuem, non solum arte salutari, verum et aliis praeclaris scientiis perpolitum, a quo haud pauca commoda, si DEVS vitam conseruauerit, certo sibi polliceri potest. Abi igitur bono cum DEO in patriam TVAM, ique pede fausto, quo virtus TVA TE ducit. DEVS TE semper saluum ac incolunem conseruet, felicem ad lares patrios reducat, omniumque rerum ac fortunarum accessionem clementissime largiatur. Quod reliquum est, vale; Suavissime SONNTAG! meque, vt solebas, amare perge. Dabam Ienae d. XVIII. Maii

CICIOCCCLXXIIII.

WORKS

Pica





19

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**CAVSSIS IMPOTENTIAE**  
IN SEXV POTIORI  
EX DOCTRINA  
HIPPOCRATIS VETERVMQVE MEDICORVM

RECTORE ACAD  
SERENISSIMO PI

D  
**C A R O L**  
DVCE SAXONIAE,  
ANGARIAE I

ILLVSTRIS M  
P  
**CHRIST. GO**  
MEDICIN. DOCT. BOTAN  
MEDIC. ADSESS. AC  
VTIL. ET SOC  
PRO GRA  
SVMMISQVE IN

D. XVI.  
PVI  
**MICHAEL**  
IGLOVIA NOBILIS H

EX OFFI

